Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Homilia XLV. De Lotione Pedvm. Et Institvtione V. Sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

*mirabili myſterio, vt magis Euangeliſta, quam Propheta eſſe videatur.*

§. 10. Scitis quid fecerim vobis? *Duas eliſicaturus virtutes humilitatem, & charitatem ſtatuit Chriſtus hæc duo opera, velut fundamentum.*

§. 11. *Acceſſit amor ad vltimum, pedes lauando Iudæ, illique SS. tribuendo Sacramentum, inſigniori miraculo, quam vnio fuerit ignis & glaciei in Ægypto.*

# HOMILIA XLV.

## DE LOTIONE PEDVM. ET INSTITVTIONE V. SACRAMENTI.

Feria quinta in die Cœnæ Domini.

*Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, &c.* Ioan. 13.

SANCTVM Euangelium, quod hodie præ manibus habemus, proprium dilecto Domini noſtri hyſtoriographo D. Ioanni Euangelium eſt amoris. Iuſtum erat vt eius conſcriptio illi ſeruaretur, qui tanto amore flagrabat, tantamque eius habebat notitiam, vt meritò nomine glorietur diſcipuli amoris. Aggreſſus eſt ita appoſitè amorem conſcribere quem Chriſtus Dominus hominibus oſtendit iam nunc ex hac vita migraturus, vt cum ita ſit, quod dum magna cura contendit in exordio Euangelii ſui ad grauem Epiſcoporum Aſiæ ſupplicationem, declarare ſublime myſterium generationis æternæ huius Domini noſtri Saluatoris, quinque tantum clauſulas conſcripſerit, & quidem valde breues, hæ ſolæ ſuffecerunt ad dicendum quantum dici poterat, cum ſingula eius verba, mare ſint & Oceanus Sacramentorum; nunc autem vt amoris eius declaret myſteria, quinque integra conſcribit capitula, & quidem admodum longa: & ſicut iuxta ſententiam Diu. Auguſtin. amor pondus eſt cordis, tantum eius verba complectuntur, vt minimum eorum inflectere imo proſternere poſſit columnas cœli firmiſſimas, intellectus ſcilicet Seraphinorum illuſtriſſimos, & merito quidem: ſi namque toto vitæ ſuæ curriculo Dominus noſter amorem ſuum erga mortales teſtatus eſt feruentem, modo extremum explicat potentiæ, totumque quantum eſt poſſibile: hoc etenim his verbis indicat: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Si namque amor effuſus eſt & liberalis, atque ex qualitate, & quantitate munerum, amoris rectè colligitur & qualitas & quantitas: liquido manifeſtatur amor, quo Dominus flagrauit, ex muneribus quibus ſuos afficit, adeò ſupremis vt omnem poſt ſe relinquant intellectum, imo omne creaturæ deſiderium, & dignitate ac merito conferantur ei, quod ipſe Deus in eſſentia ſua complectitur.

Lib. 11. de Ciuit. Dei c. 28.

Hac nocte ſacroſanctas illas ſubmittit manus, quas diuina ſponſa verè dixerat aureas plenas hyacinthis, in quibus Pater omnes ſuas immenſas, atque infinitas depoſuerat cœli ſolique diuitias, ſuorum pedibus, illos quaſi Dominos earum omnium faciens abſolutos. Hac nocte ipſa ſe demittit altitudo, & Dei maieſtas ſe proſternit ad pedes hominum, & quaſi proteſtando ſe iam in forma ſerui ſeruum ſe illis offerre humillimum, coram illis genuflexus eoſdem lauat. Hac nocte hominum pectus depoſitarium reddit ipſius fontis & originis bonorum omnium quæ Pater æternus in ſuo concludit pectore, de quo procedit eius ſapientia, poteſtas, maieſtas, celſitudo, & gloria: quatenus homo poſſideat in ſe ſub panis accidentibus, tam excellens bonorum principium quale Deus ipſe poſſidet. Modo ſe tradit illis in cibum, vt ipſum in ſe incorporent, ipſeque ſeipſum ita quid vnum cum ipſis efficiat, ſicut cibus

vnum ſit cum comedente,: & quatenus tali poſſint, quotieſcumque libuerit, frui beneficio, ſacerdotes inſtituit tam ſtupenda potentes auctoritate, vt ſolo ſuo verbo hoc ita tremendum operentur myſterium, quod poſt ſe relinquit creationem cœli, ſtellarum, imo & ipſorum Seraphim nec non decernit, vt homines ſint, qui quotidie offerant in altari idem ipſum ſacrificium, quod ipſe modo in Ara crucis eſt oblaturus, Hac nocte illos conſecrat Epiſcopos, atque in talem promouet dignitatem, vt iam eminentiſſimi Cherubin, & Seraphim honori ſibi ducerent, illis poſſe miniſtrare, atque in illa ſuper terram deſeruire. Nunc illos ita particulares ſibi conſcribit amicos, vt ipſos magnates creet in præſentia ſupremæ illius maieſtatis, coram qua maximæ cœli poteſtates proſtratæ contremiſcunt. Hac nocte celebrantur deliciæ, blanditiæ, & amoris indicia, dum illos appellat: mei cordis filioli, animæ meæ dilectiſſimi, amici deſideratiſſimi, talia promittens illis lenimenta conſolationis, qualia promitti fas eſt, aduentum ſcilicet addicens illis Spiritus conſolatoris, qui diuinis illos & ineffabilibus impleat donis, firma illis ſolida atque iuridica gratiæ iura tribuens vt Reges ſint ipſorum Regnorum, quæ Deus ipſe poſſidet in gloria, Talia ſunt hæc beneficia vt ad primum eorum attonitus hæreat Apoſtolici greges primarius Diuus Petrus, alas dimittat, ſe victum fateatur, atque ex eo ſolo, quod Dominum videat manibus tenentem pelui*m* turbetur, & quaſi in ea ipſe demergatur, amplius multo quam in profundiſſimo pelago, eſtque neceſſarium vt Dominus illi dicat, intellectum ſuum ſubiiciat & diſcurſum: quod enim modo facit, ita omnimode quem libet ſuperat intellectum, vt non ſit futurus qui illud comprehendat, donec veniat Spiritus S. cum plenitudine ſapientiæ ac lucis de ſupernis illos repleturus: hoc ipſe apertè dicit: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Si Petrus hæc oculis ſuis opera conſpiciens, rudis illa nequiuit intelligere, donec poſtmodum plenitudine gratiæ Spiritus S. fuit illuſtratus, minus adhuc illa nos capere poterimus ſine eiuſdem Spiritus fauore diuiniſſimo. Hunc igitur per illius Virginis poſtulemus interceſſionem ſupra quam tanta deſcendit plenitudo gratiæ, vt eam aliis poſſit impertiri, dicendo: *Aue Maria.*

*§. 2. Hodie Deus perfecte formam aſſumpſit ſerui pedes lauans & inſtituens venerabile Sacramentum, vt nobis omnia ſua bona communicaret.*

ELeganter meo quidem iudicio D. Dion. Alex, quem D. Hieron. *a.* quodam loco appellat inſignem Originis diſcipulum, & alio loco virum eruditiſſimum, in quadam Epiſtola, quam ſcripſit contra ſacrilegum Hæreſiarcham Paulum Samoſatenum (quæ fuit vltima operum quæ ſcripſit, vt dixit idem D. Hierony. *b.* a quo vt talem illam ceteris prælatam, qua ſic teſtatur: *Eſt valde inſignis Epiſtola*) verba illa expoſuit Apoſtoli non minus myſtica quam nota & repetita in Eccleſia, quæ de Chriſto protulit Redemptore: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Communis verò Sanctorum interpretatio eſt, Apoſtolum Paulum hic duo declarare: primum, quale fuerit myſterium ineffabile Incarnationis filij Dei Secundum, in quem finem humanam aſſumpſit naturam. Myſterium tale fuit, quod Chriſtus Dominus noſter, ille qui ab æterno verus erat Deus, in temporis volubilitate factus fuerit verus homo Confeſſio hæc eſt fidei noſtræ Catholicæ fundamentalis contra cunctos Hæreticorum errores. Finis, & id quod intendebat, fuit, vt nos ditaret nobiſque ſuas diuinas daret diuitias omneſque in noſtram humanam exoneraret naturam, ſic vt nec minimum earum ſupereſſet.

Primum dicit: *Qui cum in forma Dei eſſet.* Veram habens formam Dei. Forma, iuxta D. Thomam in hunc locum, & D. Chryſoſt. ea eſt quæ dat eſſe rei, eamque in propria ac naturali ſpecie conſtituit. Qui formam habet equi, equus eſt & Leo verus, qui formam habet veram Leonis. Forma quæ noſtro concipiendi modo Deum conſtituit in eſſe Dei, vera eſt diuinitas. Hanc Chriſtus habebat, atque in illa ſubſiſtebat, vnde & verus erat Deus; quocirca furtum non commiſit (inquit Apoſtolus) in eo, quod ſe habuerit & talem arbitratus ſit, atque ſibi eſſe Diuinum adſcripſerit: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Non fuit (teſte D. Thom.) latro notiſſimus, vt Lucifer, qui veram non habens Diuinitatem, præten-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dere voluit Diuinam æqualitatem, dicendo: *In cælum conſcendam, & ſimilis ero altiſſimo* nec Iſa. 14.
ſicut patres noſtri, qui terrigenæ cum eſſent, prætenderunt vt eſſe poſſent ſimiles Deo, quod principium fuit eorum noſtræque perditionis; nec velut ſuperbi illi gentilitatis, qui adſcribere ſibi voluerunt eſſe diuinum, illis deficiente vera diuinitatè. Omnes illi fures fuerunt & latrones: non autem Chriſtus, qui cum eandem habeat cum Patre diuinitatem, quam Apoſtolus vocat formam Dei, pleno iure illi conuenit in omnibus & per omnia eſſe illi æqualem.

Hic Dominus, qui eo quod veram in ſe haberet diuinitatem, verus erat Deus, veram aſſumpſit humanitatem: *Formam ſerui*, per quam ita verus extitit homo, ſicut ex forma Dei, verus erat Deus. Hoc quid in illo intendit, aliud nihil fuit, quam ſe ipſum exinanire. *Semetipſum exinaniuit*, Alii legunt *Vacuauit*, Tertullianus: *Exhauſit*. Nihil eſt (ſic II.
D. Thom. in hunc locum) magis quid plenum, quam Deus: etenim pelagus eſt infinitis perfectionibus bonique repletiſſimum: nam idcirco ſe nominat; *Omne bonum*, nec aliquid magis vacuum eſt quam natura humana quæ conſtat ex vna parte capacitatem quandam infinitam ad infinita bona recipienda, adeo magnam, vt ille tantum eam poſſit implere perfectè: atque ex altera ex ſe nullum poſſidet bonum: quinimo Philoſophus illam comparat tabulæ raſæ, in qua nihil diſcriptum inuenitur. Ad euacuandum omnino vas ingens & plenum, alterum ſume ita capax, vt totam illam valeat recipere plenitudinem, ſed vacuum. Nota myſterium. Filius Dei vas eſt plenum, quia verus erat Deus, vt dicere poſſit, dicatque de ſe, *Plenus ſum*. Vas ſumpſit vacuum humanitatis, quod tantam in ſe complectitur capacitatem, vt totam poſſit diuinam recipere eſſentiam, cum omnibus ſuis diuitiis, magnitudine, omnipotentia, & quidquid in ea boni eſt, hic autem ita ſe exinaniuit, vt dicere potuerit Apoſtolus; *In ipſo* Col. 2.
*inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*.

Habes hic finem in quem Deus factus eſt homo vt omnia vacua naturæ humanæ repleret, quo homo ita plenus euaſit, vt omnia Dei bona receperit. Hæc eadem eſt Theologia, quam nobis vt fundamentum ſtatuit cœleſtis ille Theologus, edoctus & promotus in ſchola pectoris Diuinæ ſapientiæ, nam agens de Chriſto primo illum ſupponit verum Deum cum vera Diuinitate, per quam ita Patri eſt æqualis, vt quamuis differat in perſona tamen idem ſit Deus qui Pater in eſſentia. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus* Ioan. 1.
*erat verbum: hoc erat in principio apud Deum &c.* Deinde nobis illum repræſentat, qua ratione ſerui formam aſſumpſerit: *Verbum caro factum eſt*: Vſus nomine carnis, quæ eſt in ſe ſubiectum omni bono vacuum, de quo dicere potuit Apoſtolus: *Non habitat in me, hoc eſt,* Rom. 7.
*in carne mea bonum.* Per hanc vnionem eua- 18.
cuauit in illam omne Dei bonum, ita vt: *Vi-* Ioan. 1. 14.
*dimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de ple-* 16.
*nitudine eius nos omnes accepimus.*

Bona eſt hæc expoſitio: porro Diuus Diony- III.
ſius Alexand. aliam eſſe dicit diuinam, quam Formam
intelligemus ſi pergamus ad cœnaculum, vbi ſerui
Chriſtum inueniemus; quod enim intendit Chriſtus
hoc eſt, vt ſe totum exhauriat, totum det, to- in cœna
tumque effundat eoque fine formam aſſumit oſtendit.
ſerui in duobus myſteriis ineffabilibus, quorum vnum eſt lotio pedum, alterum inſtitutio Venerabilis Sacramenti in ambobus formam aſſumit ſerui, atque in vtroque hoc præ manibus habet, vt ſeipſum effundat, bona ſua euacuet, atque illa in nos ipſos effundat reddatque nos iiſdem pleniſſimos. In hunc finem proponit nobis Euangeliſta Chriſtum Dominum, cuius cor fornax ſit ignis amoris erga homines ardentiſſimi, ipſe factus Phœnix vnicus & ſingularis. Omnes audiuimus quid de hac aue naturaliſtæ ſcribant. naſcitur enim & gignitur ex igne, moritur autem & conſumitur flammis eiuſdem exuſta feruentiſſimis. Natus eſt Chriſtus & conceptus per virtutem ignis amoris Diuini: nam idcirco conceptus eſſe dicitur de Spiritu Sancto quia loquente D. Greg. *Spiritus S. amor eſt*. & ipſe Dominus hoc expoſuit ænigma, dum ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*. Si naſcitur ex Io. 3. in Euange.
amoris igne, in ardentiſſimis eius flammis emoritur, quandoquidem nunc ita ferucat, vt aliquomodo extremum (*a*) amoris impenderit, quantum poſſibile fuit.

*a El amor echa la barra.*

Hoc indicat Euangeliſta dum ait: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Non ait, *In fine*, dicit D. Aug. quaſi dicere Tract. 55.
intendens, quod cum eos in vita dilexiſſet, eos in Ioan.
etiam in morte dilexerit: quamuis hoc verum VI.
ſit, nec hoc adeo magnum fuiſſet: cum certum Quid ſit
ſit amorem eius per mortem ſuam non extin- in finem
guendum; quandoquidem nec ille, quo diues diligere.
epulo fratres ſuos proſequebatur, cum ipſa

morte finierit: ſed *In finem*: phraſi S. pag næ ad ſignificandum vltimum potentiæ, alicuius rei qua licet ſæpius S. litteræ vtantur, attamen perticulariter David, qui per hanc eleganter expreſſæ quàm fatigatus, & quàm eſſet confractus aduerſit. tibus, ſibi à Deo miſſis in juſtum ſcelerum ſuorum culparumque ſupplicium:
Pſ. 37. 7. *Miſer factus ſum, & curuatus vſque in finem.* q. d. ad ſummum deuolutus ſum miſeriarum, quibus ita premor, anguſtor & pondere earum incuruor, vt mihi vires vltra ferendo deficiant, locutus etiam inſigni cuidam peccatori, illique prædicturus illum à Deo fore ſubuertendum, ſic ait:
Pſ. 51. 7. *Deus deſtruet te in finem.* q. d. ſupplicio te plectet extremo, quo ruinam pateris omnium extremam. Vlteriùs pœnam expoſtulans contra
Pſ. 73. 3. quoſdam Dei inimicos, ſic precabatur: *Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem.* q. d. manum tuam quantum tibi poſſibile fuerit ſuper eos aggraua, & ad extremum vſque, & in multis pſalmis pro titulo inſcripſit hoc quod Septuaginta legunt. *In finem*, & D. Hieron. tranſtulit *Victori*: nam juxta quorumdam explicationem aduerti voluit pſalmum illum à ſe ſcriptum, ab illo cantandum, qui ceteris vocem altiùs attollebat, vincebatq; omnes, nec non vt is illum cantaret vocem extollendo quam poſſet altiſſimè.

Hac modò phraſi vtitur D. Ioan. vt amorem exprimat Saluatoris, qui hora ſua jam præſente, quæ mortis eius erat hora: *In finem dilexit eos*, amauit illos in finem ſummè atque extremè, exeruitq; amor modo aliquo vltimum potentiæ ſuæ, ſic vt vlteriùs non poſſet. Ita hoc interpretati ſunt D. Chryſ. & eius aſſeclæ Theophilactus & Euthym etiam D. Cyril. nec diſplicuit D. Aug. & optimè declarat Ruper. *Dilexit in finem, id eſt*
Hom. 69. in Ioan. in hunc loc. *dilectionem erga eos eo vſque perfecit, vltra quod non poteſt augeri.* Amor datiuus eſt & munificus:
RVPERT in c. 13. Ioan. Tom. 2. quia amare, eſt velle bonum; amare aliquem, eſt illi & non tibi velle bonum: ſi namque tibi bonum exoptes, jam non illum, ſed te diligis. Amorem aliqui pinxerunt cum manibus ampliſſimis, linguâ verò minimâ: verus etenim a-
V. Amor datiuus eſt & liberalis. mor ampliſſima complectitur opera, verba verò breuiſſima: talem poſtulabat D. Ioan. *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Alii proponebant illum digito ori impreſſo quo id claudebatur, & magna crumena nullis clauſa ſignaculis, ſed aperta: jam enim docet nos vulgare proverbium quod opera amores ſint, non autem doctæ rationes (a) Plato dixit amorem filium eſſe Dii Iouis (qui teſte D. Aug. inter Deos palmam præferebat nobilitatis) & Deæ Peniæ,

(a) *Obras ſon amores y no buenas razones.*

quæ Dea colebatur paupertatis: quia amor nobiliſſimus eſt & quaſi diuina ſatus progenie, porro ſemper pauperrimus: quia amans pauper eſt imo ſui ipſius cordiſque indigus, quia hoc ſtudet quàm maximè, vt quidquid poſſidet etiam cor proprium, amato elargiatur.

Dilexit Princeps Ionathas Dauidem, hinc motum eſt vt illi tribueret quidquid habebat, vſque vt propria veſte maneret exutus: *Diligebat Ionathas David quaſi animam ſuam: nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad balteum.* Hinc ajebat D. Aug. amantem eſſe excordem, quia illud amico ſuo conceſſerat. Ex his duxit D. Greg. hanc regulam: ſi cognoſcere velis amorem, opera attende: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis, amor operatus magna ſi eſt, ſi autem operari renuit amor non eſt.* Deus hominem diligebat à principio: *Charitate perpetua dilexit te*, atque idcirco fuit illi ab initio beneficus, muneribus illum cumulauit: nunc autem ad ſummum aſcendit amor: *In finem dilexit eos*, atque ita aſcendunt ad ſummum beneficia: largitur enim homini omnia ſua bona, diuitias, imo ſeipſum, ita vt dicere licuerit Apoſtolo: *Exinaniuit ſemetipſum*, exhauſit, & euacuauit ſemetipſum, illi donationem faciens, non tantum rerum ſuarum, ſed etiam ſui ipſius largitor munificentiſſimus. Incumbenem formam ſerui accepit in duobus actibus quos nunc exequitur, hoc eſt in lotione pedum & inſtitutione S. Sacramenti; quos nunc expendimus.

## §. 2. Ante diem feſtum Paſchæ &c. Miſit aquam in peluim, & cœpit lauare &c. *Admiratur D. Petrus Dominum in forma ſerui, & malaciam patitur in pelui aquarum, magis quàm in Mari naugantes.*

PRimò: formam aſſumpſit ſerui in lotione pedum: hanc enim nobis ſubtiliter deſcribit Euangeliſta: *Ante diem feſtum Paſchæ &c. Surgit à Cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe & miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Hoc inter cetera Chriſti mirabilia fuit mirabilius quod D. Petrus, paucis verbis expendit, etenim videns Dominum in hac forma humilem, ſtupore attonitus ſe ſubducit, & exclamat: *Domine, tu mihi*

I. *mihi lauas pedes?* Quam digna ponderatio: *Tu mihi?* Quis tu, quis ego? Iudicauit Dauid pelagus eſſe, in quo Dei mirabilia patifiebant inſigniora, vbi præſtantiſſima hominum conticeſcit ſapientia, atque experientia verſatiſſimarum turbantur eorumque diſcurſus & ratio demergitur: *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* Quia alto vectis pelago, turbo concitatur aquas commouens turbanſque non minimè: nam cœlum vſque aſcendunt aquæ vt ſtellas ipſas videantur contingere: Iam ad ima demerguntur abyſſorum: *Aſcendunt vſque ad cœlum & deſcendunt vſque ad abyſſos, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Aqua illa omnem illis deuorauit ſapientiam, vt illam tranſuadare nequeant: *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius.* Ex tali aſcenſu & deſcenſu turbatur illis caput & quid rerum agunt, ignorant. Bene dixit Dauid de hoc Mari, ſed multò melius atque admirabiliùs diceret hoc de hac aquarum pelui, quam Chriſtus manibus ſuis apprehendit, factus ſeruus. De hac dici poteſt: *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus.* Quot ſinus pelagus hoc complectitur? Quot abyſſos continet profundiſſimas? Quàm immenſum ſine fundo fundum?

Petrus hic Chriſti humilitate... Pſal. 106. 23. Pſal. 106. 26.

Tempeſtas excitatur & diſcurſus in intellectu D. Petri, quoties ſurſum aſcendit, deſcenditque deorſum? *Tu mihi? Tu.* Quis tu? *Mihi*: quis ego? O quanta tua eſt altitudo, & mea quanta profunditas? Dicendo illud *Tu*, aſcendit Petri intellectu tranſcendens aëra, cœlos, ſtellas, firmamentum, Angelos, ſupremoſque Seraphinos, illud perpendens quod ante dixerat: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* O quanta celſitudo! Dicendo illud, *Mihi*, deſcendit & profunditatem ſuam attendit, quam Bene ipſe cognoſceret, nam vt Chriſto propinquus eſſet, ſe ita indignum reputabat vt illi acclamaret: *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine.* Dicendo homo, idem erat ac ſi diceret, ex natura omnium miſerrima, calamitatum cumulus, vanitatumque congeries: *Vniuerſa vanitas omnis homo viuens.* Dicendo, peccator tantam declarauit miſeriam, quanta non poteſt eſſe major: quia *Miſeros facit peccatum populos.* Dicit igitur: ſum omnium totius vniuerſi creatura viliſſima: quia ſi corpus attendas, cumulus ſum miſeriarum, ſicut etiam eſt hominum maximè principalis Quantum ad animam, minus ſum quam nihil: quia peccator ſum. Tunc Domine ad pedes meos? Turbatur Petro caput totumque cenſet tranſuerti, & circumagi mundum: *Tu mihi?* Tu Domine, de quo ſcriptum eſt: *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti:* Creaſti mundum, & ſingulis locum ſuum aſſignaturus, illa omnia menſus es & ponderaſti, atque ſingulis ſuum dediſti locum juxta qualitatem ſuarum dignitatem. Ignem, qui leuis eſt, ſtatuiſti in ſublimi: terram, quæ grauis eſt in inferiori: cœlum in loco ſupremo, quia corpus eſt nobiliſſimum: vt enim expendit Philoſophus hic illi debebatur quia: *Nobiliſſimo corpori debetur nobiliſſimus locus.*

II. Petrus Petri in... Matt. 16. 16. Luc. 5. 8. Pſal. 38. 6. Prou. 14. 34. Sap. 11. 21.

Tu Domine, numquid non his omnibus eminentior? an non locus tibi eſt omni creato ſuperior? numquid tu ille qui ſedes ſuper alas Cherubim: *Qui ſedes ſuper Cherubim?* Numquid tu ille qui terram pedibus tuis ſcabellum ſupponis? an non ego creatura omnium infima de tuis egreſſa manibus? an ego aliud quàm luti fruſtum per peccata & imperfectiones immundiſſimum? *Tu mihi?* Tu ignis diuinus, hoc quippe te nomine appellaſti: *Deus tuus ignis conſumens eſt.* Ego terra grauis: hoc quippe nomen voluiſti mihi eſſe legitimum quando dixiſti. *Terra es & in terram ibis.* quiſnam hic ordo præpoſterus? *Tu mihi lauas pedes?* Quid tuæ ſunt manus, & mei quid ſunt pedes? manus quæ ſuſtentant Angelos, mouent cœlos, dant lumen cæcis, mortuoſque viuificant. Pedes puluere & miſeria conſperſi: & ſi hominis pars principalis congeſtum ſit vanitatum quid pedes erunt pars infima? Eliſeus vt infantem mortuum ad vitam reuocaret, multum ſe contraxit, cum ad illius ſe menſuram aptauerit, oculos ſuos eius oculis ſuperpoſuit, os ori, manus manibus, pedes pedibus: porrò ſi manus pedibus junxiſſet res fuiſſet inſulſa & minimè conueniens. Tu Deus meus, cœleſtis Eliſee, quænam eſt hæc conjunctio, quâ pedibus meis manus tuas appones ſacratiſſimas? attende hic quod: *Omnis ſapientia ejus deuorata eſt.* Nec hoc adeo mirabile.

Pſ. 79. 2. Deut. 4. 24. Gen. 3. 19.

Trutinat Spiritus S. quod dum tempore Regis Ezechiæ & in ordine ad ejus curationem, Sol retrogreſſus eſt decem lineis & ſtetit in poſtrema atque vltima linea horologii Regis Achaz, tanto ſtupore mundus hæſit attonitus, vt ſapientiſſimi quos orbis ea tempeſtate venerabatur, Aſtrologi nempe Babyloniæ quorum tanta erat in hac ſcientia, præſtantia, vt cœlos palmo metirentur, ita turbarentur, & obſtupeſcerent, vt omnis eorum ſapientia alas dimitteret,

III. Portentũ hic Ezechiæ de ſolis retrogreſſione renouatur.

ſe vi-

ſe victam teſtaretur: proinde miſerunt Ieroſolymam interrogatum: *De portento illo magno, quod acciderat ſuper terram.* Nec ſine cauſa. iudicabant etenim totum mundum inuerti: cum enim Sol ſit mundi regimen, atque de motu illius ordinato pendeat totius ordo vniuerſi, videntes retrogreſſionem illam ita alienam ab eo quod eius natura poſtulat, vltra quam credi poteſt admirati ſunt, veriti ne omnia deque ſuſque tranſuerterentur, dixerunt: quid hoc rei? Quomodo talem Sol egit deſcenſum? quæ manus hunc ita retrorſum compulerunt, & de loco ſuo ita deorſum repreſſerunt? Quænam fuerunt illæ vires, quæ in tantam illum demerſerunt profunditatem? *Magnum portentum.*

2. Paral. 32, 21.

Portentum fuit hoc ſane per magnum, at infinities minus quàm illud quod modo perpendimus. Sol diuinus Dei filius naturalis vt proprium ſibi locum poſſidet Patris æterni ſinum: quem modò videmus ita retrogreſſum vſque ad vltimam lineam, vt nedum ſe reddat nouem Angelorum Choris inferiorem humanam aſſumens naturam, ſed ipſis etiam hominibus eorum ſe pedibus proſternens, ô magnum portentum! An locus datur altior quàm ille qui debetur ei? An locus datur inferior, quam ille quem occupat, & in quo reſidet ſeque ſtatuit infimo? *Tu mihi lauas pedes?* percunctatur Petrus hoc magno & ſtupendo turbatus portento. Quid eſt? quid intendit, quis hoc agit, atque in quem finem? opinatur D. Auguſt. tantum fuiſſe D. Petri ſtuporem, dum Chriſtum vidit pedibus ſuis aduolutum, vt quaſi raptus extra ſe receſſerit, refugerit & exclamarit: *Expauit, exhorruit, & per Cœnaculum velut inſenſatus cucurrit, & exclamauit: Non lauabis mihi pedes in æternum.* Si cernens Dominum miraculum patrantem in piſcatura ad mare Galilææ in genua procumbens humiliter & inſtanter rogauerit: *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine*, quid eum feciſſe nunc arbitramur? Porro reſpondet illi Dominus: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Diuinum plane reſponſum & quod iiſdem ſatisfacit terminis quibus propoſita erat interrogatio.

D. Aug. Ser. 8. ad fratres in Eremo. Tom. 10.

Solebat Dominus reſpondere D. Petro eodem tenore verborum, quadrabatque interrogationi reſponſio. Dixit illi die quodam D. Petrus: *Ego dico tibi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui.* Reſpondet ei eodem tenore Chriſtus: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.* Nunc difficultas quam Petrus objicit eſt in illo: *Tu mihi?* Manus tuæ in pedibus meis? Non ſibi hæc conueniunt. Cui Dominus eiſdem reſpondet terminis. *Quod ego facio, tu neſcis modo.* Tu Petre iudicas & bene quidem, mecum tibi nullam eſſe proportionem, nec pedes tuos meis conuenire manibus, aut vnum alteri correſpondere, ſcopum feliciter attigiſti: verumtamen nec tuus intellectus meis quadrat operibus, aut eius humilitas eorum celſitudini conuenit & dignitati: *Quod ego facio*: Ego cui dixiſti tu in meæ magnitudinis argumentum: *Tu neſcis.* Tu qui dixiſti, *Mihi*, in ſignum & tuæ confeſſionem paruitatis: opera Dei & humanus non quadrat intellectus: *Ego facio.* Ego ſum Patris ſapientia, cuius opera adeo ſunt excelſa, vt ipſi ſupremi Seraphin alis ſuis oculos ſibi contegant, quia nequeunt illa perſcrutari: *Tu neſcis:* Tu pauperis piſcator, cuius exiguus eſt intellectus, & [illegible] nequaquam excultus altioribus. Si Petre tuo iudicio pedibus tuis meæ non conueniunt manus, minus rationes tuæ myſteriorum meorum quadrant profunditati: quocirca ne labores illa ſcrutari, non enim his intelligendis vires tibi ſufficiunt: *Scies autem poſtea*, hoc eſt, dum venerit S. Spiritus. Ita declarauit hoc idem Dominus eadem nocte in menſa (prout exponunt D. Auguſt. & D. Chryſoſt.) dum ait: *Paraclitus autem Spiritus S. ille vos docebit omnia.* Amoris opera eiusque impulſus, vt D. Auguſt. credimus, non intelligit, qui illos non poſſidet. Opus hoc quod Chriſtus agit, opus eſt amoris Diuini flagrantiſſimi & efficaciſſimi, quocirca amor requiritur Diuinus ad eius intelligentiam: hic autem eſt Spiritus S. Ille qui ignorat quid ſit amor filiorum, facta mirari parentum, & ea quæ ab ipſis & pro ipſis ſuſtinent. Ne fruſtra Petre contenderis nunc opus illud perſcrutari: quando plenus amore flagrabis diuino clariſſimè hoc intelliges.

Matt. 16. 16.

## §. 3. Quod ego facio, tu neſcis modo &c. *Sunt opera Chriſti capilli quos ſponſa dicit excelſos, quales ſunt elatæ palmarum, & nigros quaſi coruus.*

QVam bene ſponſa hæc Chriſti deſcripſit opera! quantum ſapio, illum conſiderans in cœna recumbentem ſub forma ſerui quem membratim delineat: *Caput eius aurum optimum, comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* Viden' illũ hoc ſchemate transformatũ? noueris igitur caput illi eſſe aurum optimũ. Caput enim, teſte D. Paulo, eius eſt diuinitas: *Caput Chriſti Deus;*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Deus. Veram habet Diuinitatem. Hoc eſt quod ait D. Paulus: *qui cum in forma eſſet Dei.* Ex hoc capite crines enaſcuntur ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi coruus, illum intuere formam accipientem ſerui: nam aſſurgit de menſa ſuas exuit veſtes, nudumque corpus linteo præcingit peluim aſſumit, mittitque in eam aquam & hominum incipit pedes lauare ſordidiſſimos. An hoc miraris? ſcias eius cogitationes eſſe ſicut elatas palmarum: dixit Aulus Gellius ex doctrina Ariſtotelis & Plutarchi, palmam ſignum eſſe fortitudinis & conſtantiæ: quia nedum illam non inclinat frangitque pondus, nec quæ breuiter deorſum incuruant: ſed etiam quantò grauius eſt pondus quo premitur, tantò verticem erigit ſurſum altiùs: qua de cauſa attribuitur dantque victoribus, atque apud omnes nationes ſymbolum eſt victoriæ. Gell. l. 3. Noctium Atticarum.

Sunt comæ ſponſi quaſi elatæ palmarum, quia tunc amoris ſui fortitudinem prodit & conſtantiam: nunc, ita nunc victoriam celebrat & triumphum; *Cum dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos.* Modò diximus quando SS. inſtituit Sacramentum, in quo, vt mox dicendum, teſtimonium amoris ſui profert irrefragabile & idcirco dies hic eſt triumphi illius & victoriæ: *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Sæpius notauimus in S. pagina idem eſſe; *In finem ac ad victoriam.* Quapropter indicauit Euang. quòd in hac ſuprema inſtitutione victoriam referat amoris illuſtriſſimam: quia Sacramentum eſt victoriæ fidei. Notat Rupert. *De fabrica menſa panum,* quod D. Thom. omneſque intelligunt de SS. Sacramento, quod illa menſa constructa eſſet ex lignis Setin & inaurata: ſic Deus præcepit: *Inaurabis eam auro puriſſimo.* Caiet. intelligit ex hebræo quòd: *Erat veſtienda veſtibus aureis,* ſicut arca *ſupra & infra* Corona circumcirca & labrum quatuor digitorum: *Coronam interraſilem.* Hoc eſt quibuſdam partibus elatis, & aliis planis, *& ſuper eam alteram coronam aureolam.* Super coronam interraſilem erat & alia dicta aureola. Fiant ſimiliter anuli ad latera ex auro, & vectes ex ligno Setim obducti auro, quibus poſſit arca portari, qui ſemper erunt in illa, ſicut dictum eſt de arca. Menſa hæc SS. præfigurat Sacramentum ex lignis Setin, quo vtuntur homines, pane & vino: quia ſub ſpeciebus panis & vini latet Corpus & Sanguis Chriſti in hoc SS. Sacramento; Verum lignum eſt aureis obductum laminis, fitque per conſecrationē laminæ ſunt humanitas, Diuinitas, corpus, anima, & oſſa. Eſt hæc menſa coronata, hoc eſt ceteris omnibus ſupereminet, quia Regina eſt omnium & ſuper hanc aureola, quæ ea eſt quam hic fides conſequitur *Myſterium fidei.* Eſt Sacramentum omnium ſupremum, atque in eo quaſi triumphum ducit amor illuſtriſſimum.

I. [illegible]

Exo. 25.

II. Nulla ſine hoſte victoria Amor Chriſti triumphat de odio inimicorū.

Nemo poteſt obtinere victoriam, niſi in arenam deſcendat contra ſuum aduerſarium, nec vires alicuius agnoſcimus, niſi alterum illi opponamus. Ignis nō percipitur efficacia niſi illi aquam ſuperinijcias: illa duo coniunge: & videbis hic vtrum alterum ſit efficacius. Amor & odium contraria ſunt, & magis frequenter fortiores ſunt vires odij quàm amoris. Quantouis aliquem amore proſequaris, ſi ipſe te odio habeat, eſtque ingratus, amor tuus paulatim langueſcit & extinguitur. Si quempiam amaueris vt pupillam oculi, illique dare optabas cordis intima, quam primum percipis quod ipſe te execretur, & infandas contra te moliatur inſidias quibus tibi vitam eripiat, tuus continuò repeſcit amor, odiumque vincet alterius. Hodie prodit in arena amor Dei quo mortalibus afficitur, victoriam obtenturus inſigniorem: *In finem dilexit eos:* extremum exerit ſuæ omnipotentiæ vt triumphum referat: & bene quidem ad victoriam deſcendit: quandoquidem illum in arena expectet eius aduerſarius, odium nempe quo mortales illum abominantur, O quam potens inimicus? quis ingenio comprehendat extremum illud odium quo Chriſtum homines perſequebantur? Iam illum nigro calculo ad mortem damnârant, iam Iudas venditionem eius agebat, qua traderet illum iniqua adeo proditione, qualem mundus numquam exhorruit; deſiderabant eius inimici vt canes liuore rabidi, eius ſe ſanguine ſatiare, eratque odium ex malitia progenitum, quod omnium eſt peſſimum, & reſpuens omne remedium hoc etenim eſt quod Dominus hac nocte dixit huius faciens mentionem: *Vt ſermo impleatur: quia odio habuerunt me gratis:* nulla ratione, nulla data illis occaſione, ſed merâ furentes malitia me ſunt execrati. Ioan. 15. 25.

8 III. Magna peccata nō

Expendit hoc Euangeliſta ſubtiliter in Euangelio dum ait: *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Declarare voluit acerbitatem odij notauitque illud procuratum ex

à natura noſtra, ſed à diabolo.

ex malitia Satanæ. Non erat odium illud quo Chriſtum homines perſequebantur, perfectè ex eorum viſceribus generatum, ſed inſtigatum & motum per impulſum capitalis inimici Dei Satanæ validiſſimum. Virtutem in ſe continet campus vt ex ſe plantas producat nonnullas eradicatu faciles & debiles, quales ſunt vrtica malua, olera, &c. Porro plantas maiores & fortiores propria non poteſt virtute producere, nec illæ naſcuntur, niſi virtute extrinſeca manus efficacis ſeminatoris ſemine ad hoc de domo ſua adducto, vt ſunt nux & quercus. In cordis noſtri campo plures pullulant herbæ ex noſtra ipſa mala natura & inclinatione; eſt etenim terra maledicta. Quæ de ſe ſpinas producit & tribulos: vnde ex nobis ipſis tales germinant plantæ quas Apoſtolus commemorat: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, ira, luxuria, &c.* Verum ſunt & alia grauiora peccata, ad quæ tota noſtra non ſufficit inclinatio, niſi tartareus inimicus malitiæ ſuæ ſemen injiciat. Tale fuit horrendum illud Caini fratricidium: non enim ad hoc mala ſatis erat inclinatio, vt homo tantum in proprium fratrem ſcelus attentaret proditionis; ſed ſemen illi infudit diabolus odij & inuidiæ: quocirca dixit D. Ioan. *Cain ex maligno erat & occidit fratrem ſuum*. Tale tu quoque fuiſſe dixeris odium Saülis aduerſum Dauid: non enim ſufficiens videbatur in corde viri eſſe fundamentum ad tantam execrationem eius, à quo tanta receperat ipſe beneficia: quod ſi arbor illa ingens odij nata ſit, aſcribatur diabolo: hic enim eam in corde Saülis ſeminauit: qua de cauſa dicitur: *Exagitabat eum Spiritus nequam.*

Gal. 5. 19.

1. Ioan. 3. 12

1. Reg. 15, 14

Tale ſimiliter fuit odium & malitia hominum contra Chriſtum & propoſitum Iudæ ſementis fuit diaboli ex qua proceſſit arbor illa vt mala, ita & ſtupenda traditionis quàm commiſit. Itaque odium hominum contra Chriſtum eorumq; peruerſitas in ſupremo feruebat gradu: quandoquidẽ tranſire non poſſet vlteriùs, quàm mortem meditari deicidas qua nulla moleſtior, nulla audita ſit ignominioſior: tantumque illi damnum inferre, quantum erat ei poſſibile, nempe illi vitam auferre. Huius malitiæ grauitatem expoſuit Angelus Danieli, prout notat D. Chryſoſt. & nos alias diximus, illam appellans *Peruerſum in finem*, quo talem voluit ſignificare peruerſitatem & iniquitatem, quæ ſupremum attingeret verticem, atque extremam contra Deum, quantum poſſibile erat, exerceret ponderetque potentiam. Huic obuiam proceſſit amor Dei fortis adeo & potens, vt *Dilexerit in finem*, idque tanto exceſſu, vt non ſolum illum malitia nõ vicerit hominum, imo potius amor ſuperauerit iniquitatem: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. In hac igitur occaſione qua peruerſitas & odium omne procurant inferre illi detrimentum, amor eius laborat & ſatagit qua ratione omnia poſſit homini bona communicare. Quando machinatur odium rationem illi tollendi vitam, amor eius ſollicitè ſtudet inuenire medium quo vitam largiatur illi æternam, omnibus cœli ditatam plenamq; diuitijs. Quando mortales in ſacrilegis ſuis coacti concilijs deliberant pani illius venenum miſcere mortale, quo disrumpatur, & concludunt: *Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium*: ipſe è contra modum adinuenit nobis in pane relinquendi potentiſsimum antidotum, & remedium contra quodlibet venenum efficaciſſimum.

Quam ſingularem iudicauit Dauid Dei amorem illum antiquum quando illis ipſis qui Deum grauiter eum offendebant, abominabantur, atque perpetes illi meditabantur fraudes & apoſtaſias, ipſe eodem pede parabat illis Angelorum miniſterio panem illum admirabilem, piſtum in nubibus & aquam dulciſſimam fonteſque melleos de Petris ductos? *Inimici Domini mentiti ſunt ei &c. & cibauit eos ex adipe frumenti & de Petra melle ſaturauit eos.* Quantum noui notat illud quod ſcribit Moyſes. Quando populus farinam ſuiſſe pæ nemque defeciſſe quem ſecum de Ægypto contulerat, circa trigeſimum & primum egreſsionis diem, vt notat Caiet. iuxta illud Exodi: *Quintodecimo menſis ſecundi poſtquam egreſſi ſunt de terra Ægypti*: murmurare cœpit populus & optare: *Vtinam mortui eſſemus in Ægypto quando ſedebamus ſuper ollas carnium, &c.* Audit eorum murmur Moyſes, recurrit ad deum atque ex parte Dei reuerſus illis ait: *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere & mane panes in ſaturitate: eo quod audierit murmurationes*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

" veſtras quibus murmurati eſtis contra eum. Chal
" dæi & Septuaginta legunt : *In nouo ſigno exhi-*
" *bendo, videbitis eum audiſſe murmur veſtrum*
" *quum veſtra querelâ offenderitis* An ergo propter
" illa & ea quidem occaſione ? imo potius eos
" quis eſſe dixerit meritò deſerendos & exter-
" minandos.

Quæ comparatio malitiæ & odij illorum, cum malitia horum & odio ? quæ collatio operis amoris cum hoc adferenda ? tu Iudex eſto, annon cogitationes eius palmæ ſunt conferendæ : non enim eas pondus inflectit odij adeo immenſi, imo potius ad victoriam excitat & triumphum : quas ſapienter ſponſa nominat comas nigras. Primò : vt ſignificet quidquid agit atque intendit ad hominum beneficium ex amore naſci feruentiori : quia capilli nigri effectus ſunt vigoroſi magnique caloris, qui dum paulatim langueſcit candidi ſunt & cani. Aliam non potes dare rationem cogitationum quas Chriſtus hac nocte meditatur, cœleſtia nobis procurans bona, ſuoſque nobis theſauros impertiens, niſi amorem ſuum : qui ſi attendere debuiſſet id quod homines merebantur, ignes æternos & lanceas ſuper illos depluere debuiſſet. Amor hic incitat illum, vt formam accipiat ſerui, aquam mittat in peluim, & ſordidos incipiat pedes lauare mortalium. Secundò : nigros appellat illos quaſi corui : quia cogitationes eius tantis inuoluuntur tenebris & ſunt ea profunditate myſterioſæ, vt illas ex ſe penetrare nequeant intellectus Seraphinorum : quæ ſi ſolo conſiderentur noſtri viſus acumine, excæcabunt, & erunt quaſi coruus, noſtroſque effuent oculos omnemque demergent in ima rationem. Hoc eſt quod Dominus Petro ſignificat : *Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Ne ô Petre nunc meas has ſcruteris cogitationes, & actiones : ſunt etenim obſcuri nigrique crines ex amore nati feruentiſſimo : vnde quando venerit clara Diuini amoris lux, nempe Spiritus Sanctus, tunc myſterium intelliges & noſces quid ego modo intendam & quamobrem formam acceperim ſerui, atque in ea tales faciam actiones.

*VI. Sed ab hoc opere Chriſto … naſcitur.*

*VII. Canis cogitationes … cum ſigno in … comparatur.*

§. 4. Cœpit lauare pedes Diſcipulorum.

*Lotio pedum actus fuit humilitatis, quo ſuperbia deprimeretur, ſicut arca colles ſublimes : per hoc facit ventis pondus.*

Difficultas hic ſtatim oritur : qua ratione opus ſit hoc amoris? videtur enim magis proprium eſſe humilitati, per quam Chriſtus ſe tantum demittit, vt formam accipiens ſerui, ſe deijciat ad pedes piſcatorum pauperum, actu ipſo complens, quod Spiritus Sanctus verbo conſulit : *Quanto magnus es humilia te in omnibus.* Nemo pius negat, ex mente D. Chryſoſtom. & D. Auguſtin. quin actus ſit humilitatis, imo & ſupremæ, & pluſquam heroicæ. Voluit ſupremus ille Magiſter virtutem hanc docere, & perſuadere, quam D. Chryſoſtom. vocat : *Bonorum omnium matrem, principium & finem totius virtutis* : & alio loco : *Omnium bonorum cauſam*. Tanta eſt eius neceſſitas, vt ſine illa nemini detur in cœlum ingreſſus : ſic enim Chriſtum audio confirmantem : *Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in Regnum cœlorum.* Ex alia parte nouerat noſtri cordis ſuperbiam à parentibus noſtris hereditariam, ita noſtræ inuiſceratam concupiſcentiæ, vt iam in illa nullum ſit feruentius ſtudium quàm noſipſos extollendi ſuperbiendi, ambiendi honorem & auctoritatem. Probè nouerat quàm altas in pectore noſtro radices egerat primum illud diaboli ſemen : *Eritis ſicut dij* : & meritò ſingulis nobis illud exprobrari poſſe conuitium quod olim Dauid ab Eliab fratre ſuo ſuſtinuit : *Ego noui ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui* Vt igitur herbâ erueret adeo radicatam præſumptionem deprimeret, & ſuperbiæ deijceret arrogantiam ita inuiſceratam, ita profundè ſe humiliat, vt ſe faciat ſeruorum ſuorum ſeruum humillimum, nec non ſe ſtatuat in tali formâ, qua ſe ad eorum proſternat pedes, eoſque lauet : actus hic eſt ita ſeruis dedicatus, vt prudentiſſima mulier Abigail declaratura quod ſe ipſam offerret in ancillam famulamq; humillimam familiæ Dauid, hoc per actum hunc exprimat : *Ecce famula tua ſit in ancillâ, vt lauet pedes ſeruorũ Domini mei*. Quis hanc Chriſti cernens humilitatẽ non ſe humiliet; quis non ſe proſternat ad æqualiũ ſuorũ

*Hom. 69. in Ioan.*
*Tract. 55. in Ioan.*
D. CHRYS. *In c. 2. ad Philipp.*
*Ser. 5. To. 4.*
*Matt. 18, 13.*
I. Chriſtus ſua humilitate noſtrã confundit ſuperbiam.
*Gen. 3, 6.*
*1. Reg. 17. 28.*
II. Lotio pedum propria ſeruis.
*1. Reg. 25. 41.*

pedes Chriſtum conſpiciens ad pedes deiectum inferiorum qui fieri poteſt vt decidens de ſupernis rupes quam maxima nec hærens niſi in profundo non ſecum trahat ſilices & lapides, quos vmbra eius complectitur.

Diuina planè fuerunt verba vatis Habacuc in cantico triumphali, quod compoſuit victoriarum Chriſti decantatiuum. *In* particulari
Li.18.de Ci. c.32. notat, vt aduertit D. Auguſt. illam quam conſecutus eſt de mundi ſuperbis ſua illos humi-
Habac. 3. 6. lians humilitate, *Inclinati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius*: inclinauit & depreſſit colles mundi ſublimiores per itinera, quæ Dominus hic æternitatis perambulauit. ſic D.
In c.3.Abat. Iren. hæc verba interpretatur: *Ab itineribus æternitatis eius* quæ licet explicare per hiſtoriã quam enarrat Spiritus S. contigiſſe quando filij Iſrael ad terram tendebant promiſſionis: nam iter ſuum proſecuti ad terminos appule-
III. Prodigium de ſcopulis inclinatis populo Dei runt fineſque terræ Moab per quam defluebat fluuius Arnon totq; ibi colles, rupes, & montium videbantur altiſſimi cacumina, vt cœlum tangere viderentur, quæ nedum tranſitum Dei populo prohibebant, ſed inſuper ipſi Moabitæ ſuis muniti fortalitijs cruentum illis bellũ inferre minabantur & offendere tranſeuntes. Caſus tunc accidit admirabilis, quòd profecti filij Iſrael per vallem deorſum, per quam impetu ſuo ferebatur fluuius, ſecum per illa profundiora arcam Dei deferent, in qua Dei maieſtas figurabatur: ſed quàm primũ in conſpectum venit arca collium altiorum, omnes Dei celſitudinem reueriti ſe inclinarunt, atque in vallis decliuia proruerunt, ſe demiſerunt & pedibus ſe proſtrauerunt Iſraelitarum, tranſitum illis ſuper ſe concedentes, ipſóſque occidentes Moabitas, qui illis & per illos ſe muniebant aduerſarios. Ita nonnulli hæc verba interpretantur (conſideratis antecedentibus & conſequentibus aliiſque S.
Num.21,15. Scripturæ hiſtorijs) *Scopuli torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Arnon.* Ratio ſuadebat, vt inclinante ſe arca Dei, quã Dei magnitudo vehebatur, atque ad decliuia vallium ſe demittente recti non manerent ſcopuli ſubliomiores: Hoc etiam miratus cecinit David:
Pſ. 113, 7. *A facie Domini mota eſt terra*: Faciem vocat Domini arcam illam, in qua Dei celſitudo præferebatur. Huic concinit vates Abacuc vt victoriam celebraret quam Chriſtus de mundi ſublimitate erat relaturus: ſicut etiam plures arbitrantur, quod in ceteris Chriſti victorijs, quas ibidem decantat, ad alias etiam Diuinas ſpectet hiſtorias in figuram huius veritatis perpetratas. Eſt Chriſtus arca diuina thesaurorum Dei, in quo vera continetur diuinitas, potentia, gloria, eiuſque æternitatis altitudinem humiliare voluit & ſuperbiam magnatum mundi, qui aduſque ſtellas erigunt ſe ſublimes: eo fine hæc ingreditur itinera per vallem humilitatis ita profundam, & eo vſque deorſum deſcendit, vt ſe ſeruum ſeruorum ſuorum efficiat, vtque talis, ad eorum ſe proſternat pedes eoſdem lauaturus.

Indicauit & quidem rectè Princeps inclytus cœleſtium Spirituum, quando Dei verbum deſcendens de cœlo carnem aſſumpſit humanam in puriſſimis ſuis viſceribus, factus homo, & formam ſerui accipiens, vt loquitur D. Paulus: quod illo ſolo actu efficaciter omnes ſuperbiæ cogitationes euerterat, turbiſq; ventorum potenter proſtrauerat, quæ poterant in cordibus aſſurgere eorum, quos mundus vidit ſuperbiſſimos. Hoc verbis illis indicauit: *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, Vir.s exercuit fortiores magnitudine brachij ſui. quo ſubuertit fugauitq; cunctas ſuperborum cogitationes, quæ in cordibus oriebantur vaniſſimis: Brachium appellat ex ſententiâ Cardinal. Caietani verbum incarnatum, quo nomine paſsim in Scripturis vocatur: quia incarnari Dei filium nihil aliud fuit quam humanam naturam aſſumere illamque ſibi vnire, velut inſtrumentum coniunctum, per quam omnia illa mirabilia efficeret opera noſtræ redemptionis: eo modo quo tu brachio tuo operaris opera fortitudinis tuæ, & ea quæ tibi conueniunt. Sumens hoc brachium, hoc eſt, ad noſtram ſe humilians humanitatem, factus homo inuincibile quoddam erexit robur cœleſtemque potentiam: *Fecit potentiam in brachio ſuo*. Quodnam eſt hoc robur adeo potens? cur hoc fecit ſuperbis corde illis qui cor ita habẽt diſpoſitum ſicut eſt tellus irrigata: etenim ſole radijs ſuis illam illuſtrante, vapores aſcendunt ſpiſsi & obſcuri cogitationum inanium. Hoc interprete D. Bonauentura his verbis indicat: *ſuperbos mente cordis ſui*.

His talem fecit potentiam vt euerterit, diſperſerit, atque ad nihilum redegerit omnes illas cogitationes, vt nec earum vel veſtigium

ſuper

ſupereſſet, multò efficacius, quàm perflante vento vehementi fumus diſpergitur & nubes quæ cœlum velo contexerant obſcuriori: eteniin actus ille quo ſe Deus demittit fitque homo efficax fuit vt cogitationes euerteret cordium maximè ſuperborum. In quo manere poteſt vel faſtus tumoriſque veſtigium, ſi Deum videat, qui ſe ita humiliet formamque ſerui accipiat, ſe demittens factu homo? quod ille adeo magnus vt nec cœlo nec terra capiatur, ſe reddat ita paruum, vt ſe concludat pauperculæ puellæ ventris anguſtijs? Quod ille totus potentiſsimus, fiat infirmus: ille qui cunctas cœli polsidet diuitias, ad extremam ſe deijciat inopiam: ille qui cœlos omnes ſuſtinet, ſe tamen humiliet ſumens de ventre mulieris alimentum? Actus eſt hic potentiſſimus, vt omnes ſubuertat ſuperbiæ cogitationes: vnde dum Eccleſia nobis illum proponit, dicendo: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt:* Procidimus in terram, & qui verba hæc attentiùs conſiderant, & reuoluunt mente myſterium, tanto hoc agunt affectu vt vultum ſuum terræ vellent allidere, ſe vſque ad abyſſos declinare, ſuam quantum fieri poteſt, humiliando celſitudinem. Et nos his fidem adhibemus ex eo quod communiter refertur: cum enim quidam dum hæc verba in Eccleſia canerentur, ſe humiliaret, vno tantum poplite fixo in terram, accurrit diabolus, grauemque ei impegit alapam in hæc verba: ſi hoc quod

VI. Exemplum. dicitis: *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, &c.* Nos poſſemus dicere diaboli, tota noſtra ſuperbia in profundam mutaretur humilitatem, noſque ipſos vſque ad abyſſos humiliaremus.

VII. [illegible] Si verbum æternum eo ſolo quod formam aſſumpſit ſerui, factus homo, tantam exerceat potentiam vt omnes ſuperbiæ diſpergat cogitationes: quid non efficiet videre nunc illum formam aſſumere ſerui, & ita quidem humilis, vt ſibi veſtimenta tollat, nudumque corpus linteo præcingat (habitus hic eſt conueniens ſeruientibus) ipſe peluim arripiat, ipſe hydriam in illam effundat, ipſe aquâ repleat, ipſe in genua cernuus pedibus aduoluatur pauperum piſcatorum, eoſdem abluturus? O quænam hæc erit tanta potentia, quâ faſtuoſi omnes in nihilum euaneſcant cadantque cogitationes? Quis ex tali humilitate ſe non humiliet? Quis licet mundi ſublimiſſimus non ſe curuus inclinet? effectus hic eſt Chriſti humilitatis. Quis hoc agit, vt hodie Epiſcopi, Archiepiſcopi, ſummique Pontifices, pedes abluant pauperum, ſe quaſi ſeruos reddentes velutque ſerui illis ſeruientes? quis efficis vt Principes, Reges, & Monarchæ illuſtriſſimi qui vocari poſſunt *Colles mundi* hac tempeſtate purpuram ſuam exuant, mappâ ſe præcingant & pauperum pedibus lauandis occupentur, vt pro more habent laudabili Catholici Reges Hiſpaniarum, qui ſupremi ſunt rerum Domini? hoc Chriſtus intendit: *Omnem peſſundat ſuperbiam* inquit D. Chryſoſtom. ita ſimiliter ipſe dixit peracto hoc humilitatis opere: *Scitis quid fecerim vobis? Si ego Dominus ac magiſter veſter laui vobis pedes: & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Quid Petre ſtupes attonitus in tali me cernens ſchemate formaque ſerui & ais: *Domine, tu mihi lauas pedes?* Obſtupeſce quòd tantam in Deo videndo humilitatem, in hominibus vel ſignum aliquod maneat ſuperbiæ.

Chriſtum conſidero hominum pedibus aduolutum. Quid Domine mi hæ manus faciunt in illis pedibus? Sine dubio in illos lapillum illum vult inijcere cœleſtem, vt huius ſtatuæ diſſoluat frangatque ſuperbiam, atque in puluerem redigatur, nec non ita diſpareat, vt nec puluis ſtultæ noſtræ ſuperſit arrogantiæ, meliùs multò multòque potentiùs, quàm fecit lapillus ille pedibus illius alliſus ſtatuæ ſuperbæ, quam vidit in ſomnijs Nabuchodonoſor. Pedibus noſtris compedes conatur inijcere. Falco auis eſt leuiſſima & præſumptuoſa & aëris aſcendit altiora: prudens nobilis auceps, cui non eſt voluntas vt altiora petat, VIII. Similitudo. illi pedicas inijcit, ſuiſque conſtringit manibus quas licet annuli reddant venuſtas, pedes tamen falconis inquinant. Sunt homines & vani & leues: *Ephraim quaſi auis auolauit.* Non Oſe. 9. 11. ita ſe extollit Miluus, falco, accipter in aëra ſurſum, vt homo miſerrimus: alis etenim ſuæ cogitationis ſydera conſcendere præſumit, illiſque vult ſe attollere ſublimiùs. Mens ea eſt nobilis cœleſtiſque illius aucupis, ne nos altiora præſumamus: eo fine manus ſuas noſtris inijcit pedibus, ſe pedibus proſternens hominum, illos lauando ſeque infra illos demittendo, illis pedicas iniecturus: nullæ

nam

namque ſunt ita fortes quibus falco detinea tur, ſicut exemplum hoc eſt Chriſti Saluatoris, quo ſuperbus ille faſtus hominum animuſque cohibeatur. O Domine mi, verè dixerim quòd in hoc actu conſideraſſe te debuit amicus tuus Iob, quando præuidens quæ acturus eſſes, die quodam contemplabatur quòd ventis pondus iniiceres leuiſſimis, ne forte euaneſcerent: *Qui fecit ventis pondus.* Nouerat autem qui-
Iob 28. 25. nam eſſent illi venti, cum & ſeipſum inter illos annumeraret, dum diceret: *Memento mei*
Iob 7. 7. *Deus, quia ventus eſt vita mea*: Quaſi qui remedium petat, ne inaniter ſupra ſe rapiatur. Quale poteſt Dominus grauius pondus apponere, quo noſtros detineat pedes, ne noſipſos inaniter attollamus, quàm ſeipſum illis connectere, eoſque ſibi copulare?

IX. Vaticinium explicatur Iſaiæ.

Cenſuit Propheta Iſaias quòd Dominus ſuperbiam confunderet mundi excelſorum maieſtate ſua & magnitudine, ſicut obuoluitur, obumbratur & obtenebratur lux, ſtellarumque lumen prodeunte in publicum ſole formoſiſſimo ac ſplendidiſſimo, lucis omnis origine: ſicque fiet in die iudicij. *Incuruabitur ſublimitas*
Iſa. 2. 17. *hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus ſolus in die illa*: Vnde, inquit,
Iſa. 24. 23. fiet hoc: *Erubeſcet luna, & confundetur ſol: cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.* Porro & hoc verum eſt, nihil eſſe, quòd ſic ſuperbiam confundat hominum, quàm videre Dominum coram diſcipulis ſuis proſtratum eorumque pedibus aduolutum: etenim ordinarium eſt ſi quando Principem videris ſe demittentem vt aliquid arripiat & pronus ad caſum inclinetur quod ipſe ſtudeas illum præuenire & inclinans te illud aſſumere. Si Regem conſpiceres qui ablato ſibi veſtimento hydriam aſſumeret aquæ eamque adferret, cubiculum ea rigaturus, indubiè feſtinus accurreres eam illi de manibus erepturus Regem ſic deprecatus: Regia ſua ſe contineat maieſtas: hoc etenim mihi competit, hoc ego perficiam.

X. Adhortatio ad humilitatem.

Eia Chriſtiane Chriſtum cernis Regem Regum qui peluim accipiat, impleat aquâ, pergatque hominum pedes abluturus: feſtinus igitur accurre illique dicito, Domine mi, non tui hoc muneris eſt, non hoc te decet obſequium, mihi hoc permitte, ego namque me pedibus hominum proſternam, ego cernuus illis aduoluar, & non ſolum me ſuperbum erigam proximi mei contemptor, ſed inſuper humilis me ſubmittam, & pedibus, totius mundi pauperrimorum ſubſternar, ſeruus obſequentiſſimus. Hoc Doctore Diu. Auguſtin. Dominus intendit: conſiderans etenim quàm neceſſaria erat humilitas, & quàm inuiti (a) ac natura reluctante eam exerceamus, actum exercere voluit eius Heroicum, vt nos tantò ſtrictiùs ad illam obligaret: atque ex mente Diu. Cyrill. hoc ipſe Dominus expreſſit, quando peracto illo humilitatis exemplo ſic eos interrogat: *Scitis quid fecerim vobis?* q. d. Noſtis qua fecerim hoc intentione? vt humiles ſitis, & idem, quod ego, faciatis: *Si ego Dominus & magiſter &c.* Et ita declarat idem D. Cyril. quod dixit Diuo Petro: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea*, cum ego tibi hoc indicauero, ſicut realiter illi dixit, & præfatis verbis expreſsit. Fierine poteſt (quærit Diuus Chryſoſtom.) vt hoc præmiſſo exemplo ſuperſit in homine miſerabili vel vllum ſuperbiæ tumoriſque veſtigium? Quis credat ita cordi tuo irradicatam arrogantiam, vt tale remedium & tale requiratur exemplum: & nihilominus radix iſta maneat viua perditionis? Præcedit Dominus viamque carpit magiſter ante ſignanus: *Ego Dominus & magiſter*: quomodo ſegnis & vecors non ſequitur illum ſeruus & diſcipulus? Eius lubet verba depromere: *Quemnam faſtum hoc non tollet? Quam temeritatem, quam non deprimeret elationem? Qui ſedet ſuper Cherubim proditoris pedes lauit, tu homo, terra puluis & cinis! Si ego proditoris pedes laui, quid mirum &c.*

§. 5. Cœpit lauare pedes &c. *Lotio pedum actus fuit etiam amoris, quo pedibus hominum omnes ſuas proſtrauit diuitias, illos magis obligans, quàm Ioſephum Putiphar.*

TAmetſi ita ſit, quòd actus hic ſit humilitatis, verum tamen magis propriè & principaliter actus eſt amoris: quia hæc aſſumptio formæ ſerui, nec non proſtratio ſui ipſius ad pedes hominum procedit ex amore feruentiori. Et D. Euangeliſta ſignauit, quando de illo acturus & principium indicaturus, ex quo ſumebat originem, hoc ſupponit: *Cum dilexiſſet ſuos*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſuos in finem dilexit eos*: Quamuis enim eos in vita dilexiſſet, hic tamen amor fuit eius puriſſimus & maximè principalis: Amor datiuus eſt & munificus, vt præfati ſumus, nunc amor eſt ſupremus vnde mouet & incitat, vt munera ſint ſuprema, eaque tanta, vt det quidquid habet, imo & ſeipſum: ita vt ſeipſum euacuet atque exhauriat vt loqui fas ſit: *Exinaniuit ſemetipſum.* Vt autem hæc dona conferat, quid agit? *Formam ſerui* accepit, atque eo fine ſurgit à cœna, veſtimenta tollit, mappâ ſe cingit, peluim arripit, aquam infundit, & pedes cœpit lauare diſcipulorum. Quid hoc Domine mi, quid intendis? Illis quidquid habeo imo & me ipſum liberalis elargiri: Quod igitur medium aſſumis? Formam ſerui, qua pedes illis abluo, quatenus per hoc pedibus eorum manus meas ſupponam, eoque modo illis omnia bona mea, imo & meipſum ſubſternam.

Ceremonia frequentior qua quis plenum alicuius rei volebat alteri conſignare dominium, hæc ea erat, vt illam ad pedes eius deiiceret: hinc orta eſt illa, quam iura decernunt, vt ad accipiendum alicuius terræ dominium, ipſe eam perambulet eique pedem ſuum ſuperimponat. Multis aliis omiſsis quæ congruenter adferri poſſent, ſufficit ſcire quod narrat Diu. Lucas: nempe in primitiua Eccleſia moris fuiſſe, qui facultates ſuas tradere vellent Apoſtolis, cum illis accederent, *Et ponerent ante pedes Apoſtolorum.* Hinc eſt, quòd dum aliquis vult proteſtari quòd ſe alteri tradat & ſubmittat quaſi proprium, ſe ad pedes proſternat alterius. Pater æternus manibus tradiderat Chriſti filij ſui ſuas omnes diuitias, & quæcumque bona poſſidebat: *Omnia dedit ei Pater in manus.* In illis & ab illis conſeruatio pendebat vniuerſi, eſſe Angelorum, gloria beatorum, gratia iuſtorum &c. Dum igitur manus illas pedibus ſupponit hominum, quaſi donationem facit illis omnium harum diuitiarum quas illi Pater tradidit omnes, illas offert, & ſeipſum, cum ſe eorum, ſupponit pedibus: ita vt nihil illi ſuperſit, quod non det, & hominibus non offerat effuſiſſimus.

I. Quid ſignificet aliquid ante pedes alterius ponere.

Act. 4. 35.

Perpendit Apoſtolus Paulus, quod in principio Deus homini fuerit valde liberalis, quando quidem pedibus eius omnes ſubmiſerit creaturas: & huic appoſitè ponderat illud de Pſalterio: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*: cœlos cum ſuis influentiis, ſolem cum luce ſua, lunam cum pulchritudine ſua, cum ſua refrigeratione fontes, cum ſuis fructibus terram, cum ſuis auibus aëra. Porro notandum cum Apoſtol. quod licet Pater ſubiecerit & pedibus hominis ſubſtrauerit creaturas omnes opera manuum ſuarum, ipſe tamen filius exceptus fuerit, nec illum homini ſubiecerit eiuſque pedibus proſtrauerit: *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* Multum fuit quod Deus hominum pedibus ſubiecit, quando quidem omnia fuerint: nihilominus infinities multò fuit hoc quid illi non ſubiecit, quandoquidem pedibus eius ſubiiciens omnes creaturas, ipſe manſit non ſubiectus, qui ſolus infinities amplius & infinitis vicibus reliquis præponderat creaturis eminentior. Hanc autem ſubiectionem ſuiipſius huic ſeruauit occaſioni, quâ diuinus amor ſummum aſcenderet verticem, omnemque ſic terminum excluderet: vt nihil quod daret amplius ſibi ſupereſſet: quamuis enim homini hæc omnia creata dediſſet nunc pedibus eius ſuas ſupponit manus cum omnibus ſuis diuitiis: quid plura? Et ſeipſum quaſi plenam horum omnium faciens donationem, ita vt Apoſtolo dicere licuerit: *In omnibus diuites facti eſtis in illo.* Ita nunc talibus diuites eſtis muneribus a Chriſto conceſsis: *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia veſtra ſunt.* Si quidquid Chriſtus manibus ſuis complectitur, & ipſe quoque, tuis ſubſternitur pedibus: tui ſunt ergo Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, mundus, vita, mors, eius gratia, gloria, regnum, ſanguis, anima, caro, diuinitas, merita & Sacramenta. An aliquid dandum ſupereſt? Optimè Rex oſtenderet amoris ſui magnitudinem erga ſubditum vel famulum, ſi videres illum quaslibet ſuas diuitias, vel claues ciſtarum, arcarum, theſaurorum, & ciuitatum, manibus capientem, atque ipſas cum propria ſua perſona ante pedes eius deponentem: quaſi diceret: his omnia bona mea & meipſum ſubiicio: nam me tuum offero & conſecro. An quid amplius Rex poſſet elargiri? An quid amplius poſſet hic petere & deſiderare famulus? Hoc agit Chriſtus, & eò vſque aſcendit amor ardentiſsimus, vt quidquid habet, & ſeipſum, promus effundat:

Pſal. 8.

1. Cor. 15. 27.

1. Cor. 1. 5.

1. Corin. 3. 22.

II. Omnia Chriſti noſtra facta ſunt.

Exi-

*Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens:* nam ſiquidem ex humilitate pedes lauet hominum, verùm ex amore feruentiſſimo & potentiſsimo ſe ſeruum efficit. vt in hac figura quidquid habet, & ſeipſum, illis ſubijciat. Opus maximè inſigne amoris, quod in *Euangelio* reperimus, ipſum eſt quod beatiſſima illa mulier executa eſt tantopere ex amore commẽdata Magdalena: etenim amor Chriſti illam domo ſua expellit, atque ad diuinos eius ducit deijcitque pedes vbi quid quid boni poſſidet cõfeſſa ſubmittit: ibi oculos illos enim lacrymis ſuis irrigat; os ibi, nam amoroſa illis infigit oſcula: ibi capillos, quos vt linteum applicat: ibi cor ſuum: etenim illud per oculos inſtillat: & ibi totam ſeipſam: *Stans retro ſecus pedes eius, &c.* Plura facere non potuit nec erogare, cum quidquid haberet & ſeipſam euacuauerit.

III. Cur Magdalena ad pedes Chriſti ſteterit.

*Luc 7.*

Simon Phariſæus huius omnino ignarus, admiratur & cogitatione ſua tale vult opus auertere. O Simon (inquit Chriſtus) amoris ignoras effectus. Incipit illos declarare ſimilitudine duorum debitorum, atque expendit amorem ex operibus agnoſci, & vbi amor feruet ardentior, opera ſint exſpectanda præclariora: atque inde confirmat, quód mulier illa plus quàm ipſe, eum diligeret cum plura quàm ipſe præſtaret; tu meis (ſic argumentatur) aquam manibus non infudiſti, hæc vero aquam pedibus & aquam effudit cordis: tu oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem pedes meos vnguento conſperſit odorifero: tu pacis oſculum faciei meæ non præbuiſti, hæc autem & pedes meos oſculari non deſtitit: hæc quidquid habebat pedibus meis ſubſtrauit, nouit autem huc procedere ex amore cœleſti & ardentiſſimo; *Dilexit multum*, quod idem eſt ac ſi diceret, *Dilexit in finem*, extremum amor lapidem proiecit, quo reddidit illam adeo liberalem, vt præter id omne quod habebat, & ſeipſam meo lubens conſecrârit obſequio. Domine mi hoc ipſum quod Simoni Phariſæo reſpondiſti, & tu poſſes quoque Simoni Petro reſpondere quando tibi ſic loquebatur: *Domine tu mihi lauas pedes?* Replicare poteras illi *Simon habet tibi aliquid dicere, &c.* Non enim adhuc perfectè noſti amoris eſſentiam. Illius amor feminæ erga me mouit illam vt mihi cuncta ſua donaret, meiſque adſterneret pedibus etiam ſeipſam: hoc idem ego facio, etenim amore hominum totus inardeſco: proinde hoc meum primum eſt ſtudium primaque cura illis tribuere quidquid habeo nec mihi ipſis parcens: hic etenim amoris eſt effectus: porro talem non poteris amorem intelligere, donec aduenia ille qui amor eſt per eſſentiam, nempe Spiritus S. *Quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.*

Huic propoſito conuenienter auſim ego dicere: Domine mi quantum intelligo compedes pedibus noſtris ſtudes iniicere. Aduertis enim currere nos viam perditionis, vt de nobis illud optimè verificetur; *Pedes eorum ad malum currunt, Conuerſi ſunt ad curſum ſuum, ſicut equus impetu vadens ad prælium.* Alteri à recto tramite deuiãtanti, calamitati eius compatiens dixiſti: *Expandam rete pedibus tuis*, ne tam veloci curſu in tuum properes damnum animæque perniciem. Malè te habet, ô Domine cœlorum, dum cernis quàm feſtino gradu ad malum curramus, pedes nobis offendentes ſitique exareſcentes, vnde nobis benignus acclamat: *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti.* Metaphora ſumitur ab illo, qui petras inter ſcopulos ac ſpineta diſcurrit, vt illi veſtes dilacerentur, ipſe verò pedibus nudus incedat, multoque fatigatus exercitio ſic langueſcat: tales etenim notantur peccatores, nam per aſpera currunt & dumeta peccatorum, ſic vt pedibus animæ ſuæ nudi conſiſtant; & quinam hi? Intellectus & voluntas, virtutes & habitus boni: atque per hoc ipſum feruens adeo ſitis in illis accenditur malæ concupiſcentiæ. Vt homines à currendo cohibeat, compedes illis iniicit. Olim dixit Spiritus S. ſeruum fugitiuum pedibus funibuſque conſtringendum *Seruo maleuolo tortura & compedes.* Quinam ſunt illi compedes quibus pedes noſtros innectis? Scopum attigit qui dixit compedes maximè efficaces quibus in amore quis alterius obſtringatur, vt contra illum ſe mouere nequeat, eſſe beneficia: *Compedes inuenit qui beneficia inuenit.* Hæc ſunt Domine, quibus noſtros conaris pedes illaqueare quatenus aduerſum te poſt hac ſe mouere nequeant.

Plané

te poſt hac ſe mouere nequeant.

VI. Plane diuina ea eſt hiſtoria, quàm Spiritus S. conſcripſit de Ioſeph & nos alias expendimus. Quando luxurioſa illa pellex domina ſua moleſta prouocabat eum ad amorem illicitum, quamuis quotidie mortalibus premeret illum lenociniis: *Per ſingulos dies mulier moleſta erat adoleſcenti*. Voluit caſtiſſimus juuenis illi pariter demonſtrare, quàm impoſſibilis ſibi eſſet tanta nequitia: vnde hoc illi propoſuit argumentum cæleſti plane refertum Philoſophia, ſi D. credimus Ambroſio: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod in mea non ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor ejus es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Domina mea, rogo te, oculos aperi & attende quid Putiphar Dominus meus tuuſque conjux mihi fecerit. Quidquid habet meis tradidit manibus, nec aliquid ſibi ſuæ præter te ſolam reſeruauit: quomodo ergo poſſibile mihi erit tantam in illum patrare traditionem? Abſit omnino. Perpendit D. Ambroſ. non dixiſſe: mihi illicitum eſt, non me decet, non debeo, ſed *Quomodo poſſum* manus habens ita fortiter conſtrictas? Quis illas tibi conſtrinxit? Diuitiæ & bona ipſius quæ mihi commendauit. Beneficia hæc in manibus meis funes ſunt & manicæ quibus alligantur, vt nihil agere poſſim ejus honori contrarium. Admirabile prorſus viri argumentum qui judicio præualet, & certum eſt quod illi, qui talis eſt, nulla ſint fortiora vincula, quam ea quæ beneficia donaque pepererunt. Iudicabat meritò Sanctiſſimus Ioſeph, nullam ſibi ſupereſſe potentiam quâ contra illum ingratus moueretur, à quo tot præuentus fuerat beneficiis.

[illegible] Gen. [illegible]

Nunc igitur ô Chriſtiane rationem ineamus & diſcrimen attende inter Chriſtum & Putifarem, quid interſit inter vnius & alterius beneficia, & animo reuolue quod ſi ille omnia ſua manibus Ioſeph commendauerit, primò ipſi illa non dedit, ſed fidei illius ſeruanda commiſit, vt eadem in Domini ſui adminiſtraret emolumentum: ſecundò ſeipſum & vxorem ſuam excepit, qui manebant ejus Domini abſoluti. Chriſtus autem omnia ſua tuis ſuppoſuit pedibus, non ad ſolam adminiſtrationem, ſed vt perfectè atque ex integro tua ſint, & hoc ſine vlla reſeruatione, nec quidem diuinæ ſuæ majeſtatis. Tibi natus eſt, tibi vixit in mundo, tibi Apoſtolos elegit, tibi decreuit Prophetas, tibi legem inſtituit Euangelicam, tibi formauit Sacramenta, tibi creauit cœlos, conſeruat tibi ſtellas, ſuſtentat tibi aera, Angelos tibi deſtinat, Sacerdotes tibi conſecrat, tibi ſuum effundit ſanguinem, tibi vitam ſuam animamque tribuit, tibi eſt quidquid ibi eſt, atque in hujus ſignum tuis omnia pedibus ſubſternit. An ego non replicabis quotieſcumque diabolus aut proprius te mouet appetitus, vt illi proditionis moliatis crimen, illum offendas atque progrediaris in ejus injuriam, quando te hortatur vt ad puellæ feſtines domum, vel tabernam frequentes luſoriam, vel injuriam vlciſcaris, vel ſecteris mundi vanitatem: *Quomodo poſſum, hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Quomodo proditionis potes ſcelus committere, & quantum eſt ex parte tua, ejus machinari mortem, qui vitam tuam ſuamque tibi tradidit beneficus? Quàm appoſitè conſiderare potes illum pedibus tuis adjacentem, cumque auſcultare, qui melius tibi, quàm olim Cain dicere poteſt: *Peccaſti? Quieſce*: ſicut poſtmodum dicendum. Conſideres ergo Chriſtum, qui formam acciperet ſerui, vt coram pedibus noſtris omnia bona ſua nec ſibi parcens exhauriat. Gen. 4. [illegible]

§. 6. *Inſtituens SS. Sacramentum contrariis ſatisfecit duobus amoris affectibus: egreſſum ſuum ex hoc mundo ingreſſui ſuo conformans.*

P*Oſtquam ergo lauit pedes Diſcipulorum ſuorum, accepit veſtimenta ſua, & cum recubuiſſet iterum, dixit eis: ſcitis quid fecerim vobis?* 14 [illegible]
q. d. Quamuis factum illud tantum ſit vt comprehendere non poſſitis, attamen meo non eſt amori ſatisfactum: etenim ſupereſt opus ejus principale: quia parum mihi eſt quòd hic foris pedibus veſtris omnia bona mea, & meipſum cum illis tradiderim, ſed ipſa volo intus in vobis ponere, vobiſque ea incorporare, atque me ipſum in veſtris viſceribus infundere, nec non in illis meas omnes diuitias, meque ipſum euacuare. Fecit hoc inſtituens Sanctiſſimum Sacramentum, quod opus fuit amoris ſui diuini, in quo vt omnia ſua bona in nos effunderet, formam aliam aſſumpſit ſerui, nempe ſpecies & accidentia panis & vini. Nemo fidelis negauerit, quin Chriſtus Dominus noſter diuinum hoc inſtituerit Sacramentum, vt perfectè amori ſuo ſatisfaceret. Et hoc eſt quod ait Euangeliſta: *In finem dilexit eos.* Reſponſum eſt hoc vnicum omnibus operibus quæ Chriſtus

hac nocte perfecit: etenim declarat quòd quidquid de diuinis ſuis theſauris inſeruit huic Sanctiſſimo Sacramento, totum fuerit diuini ſui amoris actus, qui illorum omnium manifeſtat dignitatem, multum licet abſcondita ſint oculis noſtris & incomprehenſa.

*Apud Lipoman. Exod. 12. fol. 28. Exod. 12. 9.*

Subtiliter exponit Diuus Gregorius Nyſſenus quod præcipitur de agno Paſchali: *Caput cum pedibus & inteſtinis vorabitis.* Notat hic Caietanus in Hebræo non haberi vorabitis, ſed hoc coniungi cum præcedenti: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum igni, caput cum pedibus eius, & inteſtinis:* Quaſi dicat non diuidetis illum nec in partes ſcinderis, ſed integrum, caput cum inteſtinis & pedibus aſſabitis, renes tantum & iecur extraheris, quo demonſtrabat quàm feſtinanter illum deberent igni aſſare & comedere: quia cuncta ſumma fiebant cum feſtinatione, quatenus illa nocte migrarent ex Ægypto. Quæritur qua ratione potuerint pedes caputque deglutire? Caro tota comedatur & capitis ac pedum appetitu guſtuque ſingulari: porro oſſa capitis & pedum & cætera nec frangatis, nec eorum medullam exſugatis, relinquite illa vt ſunt, non enim illis dentes ſufficiunt, igne conſumantur. Itaque ignis omnia debebat oſſa conſumere: hic etenim maxime potens eſt & actiuus: & ita explicat Diuus Auguſtinus id quod dicitur: *Si quid reſiduum fuerit igne comburetis.* Quomodo aliquid ſupereſſe poterat, ſi illos præmonuerit, quod ſi non ſufficeret ad eſum agni numerus domeſticorum, vicinus aduocaretur ad agni conuiuium? *Sed intelligitur, quoniam dictum eſt, os non conteretis ex eo, remanſura vtique fuiſſe illa, quæ igni cremarentur.* Quid igitur hoc eſt?

I. Allegoria de Agno Paſchali.

*D. Aug. Lib. qq. in Gen. c. 9. 41. Tom. 4.*

Agnus hinc ſanctus Chriſtum præfigurat ex mente D. Gregorius Nyſſenus Chriſtus carnem habet quâ veſci facitum eſt. Myſteria plana, facilia: mundare leproſos, ſolidare claudos, dare viſum cæcis. Alia oſſa ſunt dura quæ reconclaſam habent medullam, myſteria ſunt profundiora: hæc comedi non poſſunt, quale eſt illud SS. Sacramenti de quo dicebant illi: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* O cerebra vacua, inquit D. Gregorius Papa: *Crudum Iudæi comedunt, aqua coctum hæretici:* quia illi eius diuinitatem negant: *iſti per humanam ſapientiam & diuinitatis, & humanitatis Sacramenta enucleant:* hoc tanti myſterij Sacramentum volunt hæretici, & Iudæi, qui negant diuinitatem, comedere, & ſapientia humana docti in-

*Ioan. 6. D. Gre. In 1. 1. Reg. c. 2.*

tellectu ſuo comprehendere: quocirca dormiunt inueniunt & difficultatem: hoc ſeruetur ignis igni concremandum, quia ſicut amor eſt magnificus, & in hoc Sacramento totus nobis traditur Deus, & quidquid boni amor poſſidet, qui in illo reſplendet, efficiet vt facile fiat, non illud intelligere, ſed credere: *In finem dilexit eos,* dedit quantum dare potuit. Hoc potuit dare potuit ſeipſum quandoquidem hoc ſecit, nam de amore & maximè de infinito Chriſti amore totum hoc creditu non eſt difficile.

Hac nocte cor illius diuinum amor. figurat erga homines ardentiſſimo à duobus contrariis affectibus eſt impugnatum, quos amor in illo producebat. Ex vna parte mouebat illum, vt ex hoc mundo diſcederet: ex altera vero propellebat illum, vt in mundo remaneret, amor illum ad diſceſſum vrgebat: quia eo ipſo quod diligebat homines, procurare debebat quod illis expediebat: nec illis quidquam erat commodius, vtilius, imo magis neceſſarium, quàm hinc per mortem crucis exiret: *Veniam ad vos, expedit vobis vt ego vadam:* quia per hoc obtinebat illis vitam, ſalutem, redemptionem, gratiam & gloriam. Vrgebat illum amor in contrarium, ne moriens abiret, ſed viuens remaneret: nihil enim amor ita deſiderat quam amati præſentiam, nec quidem puncto temporis ab illo ſeparari. Quid ages Domine mi? Diſcedes, an remanebis? Si diſcedas, à dilectis te procul elongas: ſi cum illis remanes, deficient reparatione & redemptione, quæ in diſceſſu tuo morteque conſiſtit. Quam anxia languebat pia Rebecca, quando duos in viſceribus ſuis ſentiebat puerulos à ſe genitos, & inter ſe colluctantes, dum vnus aduerſus alterum decertat, vter prior egrediatur.

Tales conſidero binos illos in pectore Saluatoris affectus qui videntur inter ſe digladiari vter præualeat. Si diſcedat, verum eſt, quòd ſuorum negotia promoueat redemptionem, ſed tamen à dilectis ſibi longiùs diſcedit. Si remaneat, verum eſt, quòd illos habeat ſibi vicinos, ſed in eo deficit quòd illis maximi eſt momenti. Hic patet quid ſit amor ſupremus qui ad vltimum accedit, & vni proſpicit & alteri, & diſponit vt vtrique ſatisfiat affectui: vt realiter hinc diſcedat, quo remedium ipſorum perficiatur, & realiter maneat, quo ab eis non elongat quibus cupit omnia felicia.

Si quid ſapio Diuus Ioannes nobis deſcribit amorem Chriſti, vt inſignem illam regiamque Aquilam quam vidit Ezechiel formosam

ſam, plumarum varietate ſpecioſam, ſed alis maximis expanſam, quibus aſcendere valeat ad ſummum Libani verticem, indeque tollere medullam Cedri ad commodum negociatorum Chanaan. Eſt autem Aquila ceterarum auium Regina & earum nobiliſſima, ſic eſt & amor inter affectus cordis eminentiſſimus. O quàm magna eſt hæc Aquila, quæ nidum ſibi conſtruit in Chriſti pectore: *In finem dilexit.* Ad ſummum accedit verticem mille pennis formoſa virtutum, donorum, & prærogatiuarum: volatum ſuum erectura eſt ſupra totam naturam, ad hoc duas habet alas maximas, ſapientiam ſcilicet & potentiam. Illas modò declarat egregie Diuus Ioannes, dicens tantam ineſſe huic Domino ſapientiam, vt omnia ſciat, & mortis ſuæ horam, ita præciſe ac ſi eam diſpoſuiſſet & futuram decreuiſſet, in qua terminandæ erant omnes ejus actiones: deinde quòd tanta polleret poteſtate, vt manus haberet omnipotentes, quidquid enim volebat hoc poterat. Amor ingens talibus initens alis ita ſurſum euolat, vt his omnibus ſatisfaciat cum medulla Cedri, inſtitutione inquam Sanctiſſimi Sacramenti, quo cœli diuitiæ continentur excellentiſſimæ quatenus cum illis veri negotiatores, quidquid voluerint, ſibi poſſint comparare. Per hoc omnibus ſatisfacit & ſtatuit, vt cum ratio ſuadeat vt hinc per mortem crucis abſcedat, hoc ita fiat, vt in propria ſpecie formaque diſcedat: & quandoquidem premat vtilitas vt remaneat, vt cum illis maneat, hoc ita fiat, vt remaneat ſub ſpeciebus Sacramentalibus panis & Vini, ita & vno quidem modo diſcedat, & alio remaneat, & ſicut ſubtiliter aduertit D. Auguſt. finis principio correſpondeat. Hoc ipſe patefacit Euangeliſta verbis illis: *Sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.*

IV. Quomodo maneat & diſcedat.

Ioan. 13.

Conueniunt ſibi ex judicio D. Auguſt. aduentus in mundum, & ejus abſceſſus: *A Deo Exiuit.* Exiuit à Deo quando venit in mundum: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Qualis fuit hic egreſſus? Quando verbum æternum venire debuit in mundum, duo ſibi occurrerunt. Ex vna parte requirebat vtilitas vt veniret, ſi namque non veniret, ſequi non poterat illud quod Deus in hominum beneficium ſalutemque decreuerat. Ex altera parte vrgebat ratio, vt apud Patrem remaneret: quia non poteſt ſe ab illo ſejungere, nec poterat Patris intellectus ſine tali filio remanere, quia hic eſt ſuus conceptus, & ſui intellectus verbum, tota ſua ſapientia, tota ſua gloria: & ita ſine illo remanens, remanebit caput ſuum ſapientiâ vacuum, ſuus intellectus ſuo conceptu, & perſona ſuâ gloriâ. Quid remedii? Erat Dei amor qui opus hoc diſponebat: erat amor ſapiens & potens, & diſponit vt vtrique ſatisfiat, vt ex vna parte cum Patre maneat, quia ſufferri non poteſt abſentia talis filii à tali Patre, nec talis verbi à tali intellectu: atque ex altera parte vt veniat in mundum, vt operetur illud quod Deus ad gloriam ſuam noſtramque decreuit vtilitatem. Quomodo fiet illud? Hoc eo modo diſponit, vt vno modo maneat, & altero veniat. Maneat in intellectu Patris ſecundum eſſe Spirituale, intellectuale & diuinum: & veniat ſecundum eſſe humanum noſtraque carne veſtitus. Hoc myſterium eſt de quo dicitur: *In principio erat verbum: & verbum caro factum eſt*: quod ingenioſè explicat idem Diuus Auguſtinus per ſimilitudinem verbi & conceptus noſtri intellectus.

V. Idem contigit in aduentu eius in mundum.

VI. Doctiſſimè hoc explicatur.

*Ser. 141. de temp.*

Hic idem conceptus quem ego vobis nunc dico mecum manet, atque ad vos eum mitto: quomodo fit hoc? An forſitan quia illum ad vos mitto, ego ſine illo maneo? Non maneo, ſed mecum remanet in meo intellectu ſecundum eſſe ſpirituale conceptus intellectualis: & illum ad vos mitto ſecundum quod illum facio corporalem, veſtiendo illum aere, quo factum verbum ſenſibile illum emitto vt ad aures veſtras perueniat: verè illum ad vos emittendo, verè ac realiter mecum remanet. Emiſi illum vno modo, & remanet altero. Hoc contigit in aduentu Verbi æterni: nam remanſit ſecundum eſſe ſpirituale verbi in intellectu Patris, & ſecundum eſſe corporale, carne veſtitum ſenſibili venit in mundum. Hoc quod fecit, quando *à Deo exiuit*, hoc nunc agit, quando *Ad Deum vadit*: non enim inferioribus pollet nunc amor alis quando ad ſummum accedit, quam tunc: *Nec demum cum inde exiret, nec nos deſerens cum rediret*: inquit D. Auguſt. Itaque ſtatuit, vt omnibus ſatisfiat, vt vadat, & maneat, vadat apertus in propria ſua ſpecie, & forma naturali, & maneat in ſpecie & figura panis, ſpeciebus coopertus Sacramentalibus: & ſicut veniens in mundum dicere potuit, quod maneret cum Patre: *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*: ita ex veritate dicere poteſt ex vna parte: *Vado ad eum, qui miſit me*, & ex altera: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* An non amor eſt potentiſſimus, & extremum oſtendit potentiæ?

VII. Similitudo.

*D. Aug. Tract. 55. in Ioan. Tom. 9.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*§. 7. Secundo: ſumpſit Dominus formam ſerui inſtituens SS. Sacramentum, vt in nobis omnia ſua bona exinaniret, melius quam Iſaac in Iacob.*

16 HOc vt bene dictum approbo, ſed necdum manifeſtauimus amoris diuini in hoc actu propoſitum, quod indicauit D. Dionyſ. Alex. Quid tibi perſuades quod Chriſtus agat, hoc inſtituendo Sacramentum? Formam aſſumit ſerui, vt ſe euacuet, totumque in nos effundat, & dicatur; *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* Sic eſt vt dicebamus, amor eſt munificus & ſummus amor, ſummè munificus. Verum eſt, quòd motus jam hoc amore Dominus dederat omnia, ſuorumque pedibus proſtrauerat in lotione pedum, vt dictum eſt: verumtamen non hoc illi ſuffic[it]: quandoquidem videatur quod illa foris extra hominem poſuerit, quamuis ante pedes eorum. Vult illa in intimis hominis ponere, atque ibidem bona ſua effundere atque in illum euacuare: eo fine pallium formamque aſſumit ſerui: quid enim eſt panis (& idem ſit ſenſus de vino) niſi Dei famulus? Nam omnes creaturæ ſerui ſunt Deique famuli: *Omnia ſeruiunt tibi.*

*Pſal. 118. 91.* Conſiderant & quidem attentè nonnulli quod Dominus cum pane fecerit hoc ipſum, quod fecerat cum Domino domus in qua cœnauit, qui

I. Qualis vir ille fuerit, vt Chriſtus cœnauit. vir erat vt opibus ita dignitate primarius, ſicut liquidò conſtat ex opulenta ejus ſuppellectile quâ Chriſtus vſus eſt: quamuis D. Chryſoſt. opinetur hominem fuiſſe Apoſtolis incognitum, & quod Dominus voluerit ad illum mittere, quatenus viderent illi Chriſti potentiam,

*Hom 82. in Matt.* qui ſolo verbo ſuo de ſordibus hominum faciebat quidquid ſibi bene placebat, de quo diximus Dominicâ præteritâ. Inſtante jam hora cœnæ miſit duos de diſcipulis ſuis injungens illis vt pergerent in Hieruſalem, atque ad ingreſſum inquit ciuitatis hominem offendetis amphoram aquæ bajulantem, ſequimini illum, & in quamcumque domum ingreſſus fuerit, dicite Domino domus: *Pater familias domus*: quia in domo tua oportet me Paſcha celebrare; *Et ipſe*

*Luc. 22. 12.* *vobis oſtendet cœnaculum magnum ſtratum ibi parate*: id eſt ornatum aulæis & tapetibus circumquaque contectum; hoc enim ſignificat verbum hoc, *Stratum*. Vt opinor, Pater ille familias cœnaculum hoc ſibi totique familiæ decenter ornauerat ſecundum legis diuinæ præſcriptum.

Dicit itaque Dominus, hoc quod tibi [illegible] ſtragulis tuis & armorum tuorum inſignibus adornatum, mihi ſeligo ad Paſcha celebrandum: tu inde diſcede, & ego cum diſcipulis meis Paſcha celebraturus intrabo.

Non eſt cur moram faciamus in hujus conſideratione, quòd Dominus ille, qui natiuitati ſuæ ſtabulum elegit, & viuens propriam non habuit domum, nec fumarium, & mori in crucem elegit ignominioſam, pro [illegible] ſuis, atque inſtitutioni Sanctiſſimi Sacramenti, domum habere voluerit ornatam, cultam, præparatam, non ſolum parietes pretioſis operibus tapetibus, ſed etiam pauimentum formoſis conſperſum aulæis, hoc enim eſt, *Cœnaculum ſtratum.* Domus in quo pretioſa forent vaſa quæ [illegible] lia conſpiciuntur ea fuiſſe quibus Dominus [illegible] ſus eſt; catinus enim huic myſterio ſeruiens lapis erat ſmaragdus, maximi valoris, quem Genuæ dicunt aſſeruari; & calix ex aliolapide pretioſo, quo clariſſima Valentiæ ciuitas illuſtratur cui illum dono dedit vt [illegible] mum Rex Martinus, quem multâ diligentiâ tulerat de celeberrimo monaſterio D. Ioannis ad Petram in Aragonia. Iam à principio [illegible] Dominus hic oſtendere quod omnes diuinæ modicæ ſint hujus Sanctiſſimi Sacramenti [illegible] quio, atque ad ejus dignitatem juſtum eſt, vt omnia ſerico, auro & pretioſis aulæis, etiam ipſa pauimenta reſplendeant.

Porro hoc propoſito noſtro perpendendo conueniens, quòd id quòd Dominus fecit, cum viro hoc, fecit & cum pane in hac cœleſti cœna. Eſt panis ſuſtantia in cubiculo ſuæ quantitatis, ornata candidiſſimis ſuis cortinis & aliis accidentibus, imperat Dominus vt ad hoc myſterium excedat panis, non per annihilationem, nec per conuerſionem in materiam circumſtantem, ſed verè per tranſubſtantionem, qui terminus eſt eleganter inuentus, & frequentatus in Eccleſia ad hujus myſterij declarationem, jam enim non remanet panis, ſed ſuæ quantitatis deſerit cubiculum cum ſuorum accidentium tapetibus, & ingreditur eò Chriſtus, ita vt aſſumat has veſtes, tapetes formamque panis, hoc enim conformiter Euangeliſtis dixit Apoſtolus: *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens &c. Hoc eſt corpus meum.* Supponit illud Epitethum, Dominus, quia hic oſtendere ſe voluit Dominum creaturarum, qui poteſt facere ex illis, illas mutare, tranſubſtantiare, illaſque diſponere quomodo & qua ratione ſibi placuerit. Vt talis

Autho

accipit granum. Erat verus panis ille quem accepit in manibus ſuis potentiſſimis, porro cum verba illius verba ſint Domini omnipotentis, qui ſolo verbo quælibet operatur: *Ipſe dixit & facta ſunt*: his verbis pronunciatis: *Hoc eſt corpus meum*: Iam panis non remanſit, ſed corpus eius ſub accidentibus formaque panis.

Hic Chriſtus Dominus noſter ſuam manifeſtauit omnipotentiam totamque ſuam poteſtatem, in inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti. Vt hoc melius capiamus, vult primo tractare de
IV. ſumma poteſtate ſuper omnia quam Pater ſuus æternus illi tradiderat, quando ſcripturus de de præclariſſima hac inſtitutione, ſic ait: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Poteſtas Dei. O quanta poteſtas! illam in Ægypto conſidera: transmutat virgam in ſerpentem, atque de illa agit quidquid vult: aquas mutat in ſanguinem: verumtamen quodnam eſt hoc tam inſigne prodigium: quandoquidem idem fecerunt Magi ſuis execrationibus? Hoc factum non fuit in virtute poteſtatis eorum, ſed applicando actiua paſſiuis opera diaboli. Porro Deus ſola id fecit ſuæ voluntatis virtute, quia poteſtate viget infinita, qua poteſt quidquid vult. Quærit Diuus Auguſtinus quomodo potuerit Deus aquam fluminis Nili conuertere in ſanguinem. Quotidie operatur Deus, reſpondet ipſe, hæc mirabilia, porro talia non ſunt: quia curſu ſunt ordinario. Multiplicat triticum in tantum numerum faciens accreſcere vel vnicum granum. Deus, ita præfatus Doctor, per ſingulos dies aquam transſubſtantiat in ſanguinem, quia ex aqua producit in palmitibus vinum: & hoc potatum conuertitur in ſanguinem vi & virtute caloris naturalis. Panem producit cum aqua in terra, qui vertitur in ſanguinem, & hoc decurſu temporis.

Igitur hoc quod agit decurſu vnius menſis vel anni, non poterit hoc vnico momento producere? Quenam non poteſt diabolus? & nihil horum eſt miraculum: quia in omnibus quæcumque facit naturæ vires non excedit. Quid
V. efficit Deus qui tota natura ſuperior poteſt quæcumque voluerit: *Quid ergo capacibus mentibus obſtat, ſi illud quod per tempus longius facit, in momento per iuſſum potentiſſimi gubernatoris naturaliter efficiatur? Aqua in ſanguinem verſa, non contra naturam facit, ſed quod alias rebus per tempus efficeret, iubente Domino in ſemetipſo protinus operatur*. Et hoc idem declarauit D. Maxim. Epiſc. Taurinenſis his verbis: *Nulla te quæcumque inter iſta cunctantis, infidelitas turbet; quia dubium, non eſt ad nutum creatoris elementa pendere, aut cur non credamus virtute Dominica vinum fieri potuiſſe de aqua, cum nobis operante Deo, fomentis imbrium terra de gremio per miniſteria vinearum aquæ ſurgant in vinum*. Si talis eſt huius Domini poteſtas, ſicut hic manifeſtatur cur formam hanc accepit ſerui? Amor eum ad hoc incitauit.

Ardenter amauit Princeps puellam quandam nobilem ſed valde ſolitariam & concluſam: deſiderabat autem intrare cubiculum in quo illa morabatur; intellexit eſſe famulum qui frequenter illud ingrediebatur & egrediebatur: hoc igitur præualuit ſtratagemate, veſtes huius formamque induit famuli, quatenus hoc modo ingreſſum ſibi conciliaret. Eſt anima tua progenie nata illuſtriſſima, cuius amore inardeſcit Princeps primogenitus æternitatis: concluſa eſt & clauſa huius corporis ergaſtulo, auide deſiderat illuc intrare nullo ſibi occurrente offendiculo; nouit panem eſſe qui maximè ordinariè corpus illud ingreditur, hunc mane comedis, ad veſperam, in hyeme & in æſtate: figuram aſſumit veſtemque huius famuli, vt intus in te ingrediatur, animæ tuæ vniatur, & quid vnum cum illa ſe faciat. Sunt hæc amoris molimina. Ceterum non hoc ſolum intendit, ſed ſe totum euacuare vt fiat illud quod ait Apoſtolus: *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*. Hanc formam & figuram accepit ſerui, quæ veſtes ſunt & figura panis: hic ſe totum exinaniuit, quia poſuit hic ſuam perſonam, corpus, animam, diuinitatem, ſanguinem, gloriam, omnipotentiam, vitam, omneſque ſuas facultates: *Omnes diuitias diuini ſui erga homines Amoris effudit*, ait S. Concilium Tridentinum, & hoc quatenus ipſo exiſtente in hac buccella exinanito; & omni quod habet in tuo poſito pectore, his omnibus diues efficiaris, & tuus ſit ipſe & quidquid boni poſſidet, ita vt nihil Deo remaneat quod tibi non largiatur. Hic eſt, ita hic eſt amor. Ita nunc acceſſit amor ad ſummum: ſi namque opus amoris eſt erogare nunc ita ad ſummum in dando acceſſit, vt nihil illi ſuperfuerit, quod non dederit, & gloriari poſſit à nobis interrogans: *Quid vltra potui facere vineæ meæ, & non feci?*

VI. Amoris fuit hic effectus.

Seſſ. 13. ca. 2.

Iſai. 5. 4.

Notemus cum Diuo Auguſtino, benedictionem qua Patriarcha Iſaac locupletauit Iacob filium ſuum iuniorem: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*, q. d. Det tibi Deus rorem cœli,

Lib. 18 de Ciuit. cit. 37. Gen. 27. 28.

li, & terræ pinguedinem in magna abundantia panis & vini, Accedit Eſau primogenitus Patriſque poſtulat benedictionem: cui ſic ſenex optimus, Heu fili mi, iam illam fratri tuo impertitus ſum. Quid hoc, Pater mi, *Num vnam tantum benedictionem habes?* An fortaſſe domus tua ſic inops omnium eſt, vt vno conceſſo, aliud non ſuperſit concedendum: numquid adeo modicum eſt quod in tua poſſides poteſtate, manibuſque traditum eſt, vt ſi illi tradideris, mihi nihil remaneat elargiendum? Tametſi vnam illi dederis benedictionem, & mihi ſimiliter alteram impertire: *Numquid non reſeruaſti & mihi benedictionem? Num vnam tantum benedictionem habes Pater? Mihi quoque, obſecro, vt benedicas.* Reſpondet illi prudentiſſimus grandæuus. Heu fili mi: *Frumento & vino ſtabiliui eum, & tibi poſt hæc, fili mi, quid faciam?* Fratrem tuum dotaui, rorem illi apprecatus cœleſtem & terræ pinguedinem in pane & vino præter hæc aliud nihil mihi ſupereſt erogandum. Quis credat o ſanctiſſime Iſaac hanc à te proferri rationem? An ergo quidquid poſſides in pane tantum vinoque concluditur? Satis apertè nobis teſtatur S. pagina, opulentum te fuiſſe in auro, argento, ſupellectile, gregibus, armentis, bobus, ouibus, meſſe, ſeruis, & mancipiis: *Locupletatus eſt homo, & ibat proficiens atque ſuccreſcens, donec magnus vehementer effectus eſt: habuit quoque poſſeſſiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum.* Fuit vnicus heres Patris ſui Abraham de quo teſtatur S. eloquium: *Erat diues valde in poſſeſſione auri & argenti.* Si Iacob largitus es panis vinique benedictionem, iam tibi ſuperſunt alia bona: quæ poſſis Eſau elargiri.

VII. Benedictio data Iacob expenditur. Gen. 27. 37.

Gen. 13. 2.

VIII. SS. applicatur Sacramento.

Myſterium hic cum D. Auguſtin. notandum quo declaratur benedictio, qua Deus filium repleuit ſecundum, populum nempe Chriſtianum: benedictio fuit illa in qua dedit illi cœli rorem & terræ fœcunditatem in pane & vino, hoc eſt in Sanctiſſimo Sacramento inſtituto in pane & vino. Hic cœleſtem conſtituit rorem, ſuam diuinitatem, & quidquid poſſidet, ſecundum quod procedit ab æterno ſuo Patre, ſuam maieſtatem, omnipotentiam, æternitatem, gloriam, opeſque infinitas. Adiungit pariter pinguedinem terræ, ſuam videlicet humanitatem, quæ pinguedine abundat gratiarum, virtutum, donorumque omnium: quocirca cum tanta Deus tamque innumerabilia bona poſſideat & diuitias, dicitur, quod erogato hoc pane & vino, nihil illi ſuperſit vltra tribuendum: quia hic formam huius accipiens ſerui, totum ſe exinaniuit & euacuauit: *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*: nec illi remanſit aliquid in domo ſua, nec ſecundum quod Deus eſt, nec ſecundum quod homo, quod hic non præbuerit & tradiderit. *Et poſt hæc vltra quid faciam?* Hic dato Deo nihil ſupereſt quod det amplius: quandoquidem hic ſe tantum euacuauerit, vt ne minima ſibi gutta aquæ remanſerit perfectionum & bonorum pelagi illius infinitæ ſubſtantiæ, quam hic non effuderit, vt tibi omnia traderet, omnibuſque locupletaret: ita vt non ipſe Deus vel atomum vel punctum habeat amplius ex diuitiis ſuis, gloria, omnipotentia, æternitate, & ſapientia: nec Chriſtus vel capillum habeat amplius, nec guttam ſanguinis nec minimum os quod in hac tibi buccella non exporrigat. Quis hoc fecit? Amor. Qui per hoc communia reddere voluit hominibus bona & diuitias, quæ propria erant Dei. Et hic amor innoteſcit: quia amor bona reddit inter amicos communia. Communicauit primo Deus homini omnes creaturas: *Omnia veſtra ſunt*, verum hoc minus eſt, quam ſi Rex amico puluerem traderet atriorum: *Quaſi gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram, & ſicut momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum*: Plura petit communicatio ſummi boni & amoris eminentiſſimi.

Expendamus cum Philone illud Exod: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Nota: *Eo quod amicorum omnia ſint communia* Deus poſſeſſiones & *opes ſuas cum ſanctis communicat*: præcipit Moyſi Deus, hoc dicito Pharaoni: *In hoc ſcies quod ſum Dominus, ecce percutiam virga, quæ in manu tua eſt, aquam fluminis & vertetur in ſanguinem.* Domine mi nec virgam habes in manu tua, nec illa percuties aquas, ſed Aaron: quomodo dicis igitur quod in manu tua ſumpturus ſit virgam aquaſque percuſſurus? Sic eſt ait Deus Aaroni, quia manus tua, mea eſt, & mea tua: tu facies quod ego, & dicetur quod illud quod tu facis, ego faciam & id quod ego facio, tu facias. Suos appellat Deos, ſua tradit illis nomina, & non vult vt ſolum in nominibus maneat ſuorum communicatio bonorum, ſed inſuper illis ſuam communicat eſſentiam, totamque tradit hic in hoc cœleſti Sacramento ſubſtantiam: quia reddit amor amantis bona communia, & Deus hominibus hic communicat in amoris ſui teſſeram totam ſuam eſſentiam, totam ſuam diuinitatem, omnes diuitias, totamque maieſtatem quæ Dei bonitas

opes,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

opulentiſſima : etenim SS. Sacramentum teſtimonium eſt diuini amoris irrefragabile.

Mandat Moyſi Deus vt arcam conſtruat, atque illi : *Pones in ea teſtificationem & teſtimonium &c.* Arca figuram præfert SS. Sacramenti. Patet hic in virga potentia, in lege ſapientia, & in manna bonitas : quia iuxta D. Thomam, ſunt hæc tria principalia attributa, quæ in hoc diuiniſſimo reſplendent Sacramento. Arca coronata ſignificat nihil amplius ſupereſſe rogandum. Hic teſtimonium eſt Diuini amoris. D. Auguſt. de Chriſto verba illa Pſalmograph. declarat: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Teſtimonium eſt Chriſtus, teſtimonia quippe Dei ſunt, quibus quantum nos diligat, nobis probare dignatur. Commendat autem Deus charitatem in nobis quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Cum ergo ipſe dicat; Ego ſum via, & humilitas eius carnalis natiuitatis, atque paſſionis euidentia ſint teſtimonia Diuinæ erga nos dilectionis; procul dubio via teſtimoniorum Dei Chriſtus eſt.* Conceptus hic etiam Diuo Ambroſio adſcribitur. Conſidera num te diligat : *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Hoc idem notamus in V. Euchariſtia, quod. *Sic Chriſtus dilexit mundum vt ſeipſum daret* : teſtimonium hoc eſt amoris excellentiſſimum : *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Supponit D. Ioannes tria de Chriſto, potentiam eius, ſapientiam & voluntatem, vt hæc conſiderentur in hac mirabili SS. Sacramenti inſtitutione.

Non omittendus eſt inſignis D. Thomæ conceptus de fabrica arcæ cuius ſupra meminimus quo fine ſit illa? Ipſum Deus declarat: *Pones in arca teſtificationem quam dabo tibi. Pones in ea teſtimonium, quod tibi dabo.* Nonnulli capiunt hoc de ſola lege, quæ vocatur voluntatis diuinæ teſtimonium & beneficij quod continebat. Verum Reper. & Beda credunt dici teſtimonium ea tria quæ D. Paulus enumerat : *Vrna, aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti.* Ratio hæc eſt : quia tria attributa, ex mente D. Thom volebat illi populo manifeſtare, quibus dubia ſua illi declararet : *Tabula legis ſymbolum ſapientiæ. virga potentiæ, Manna bonitatis & amoris*, vt ſi quando dubitarent, vtrum Deus faceret miracula, hæc ipſi attenderent, erant enim teſtificatio potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, & amoris Dei Hoc (inquit D Thom.) voluit Deus vt ſemper meditarentur, quinimo eadem de cauſa ait ipſe tria illa in ſuo ſtatuit fieri tabernaculo: *Altare thymiamatis, quod directe erat contra arcam, menſa propoſitionis, ſuper quam duodecim panes apponebantur ex parte Aquilonis. Candelabrum vero ex parte Auſtrali; quæ tria reſpondebant tribus, quæ erant in arca. In candelabro tanquam in ſigno ſenſibili ſignificatur ſapientia qua intelligibilibus verbis exprimebatur in tabulis. Per altare thymiamatis ſignificabatur officium Sacerdotum regentium populum habentium poteſtatem diuinam. Per menſam ſignificabatur nutrimentum vitæ datum gratioſè.* Hæc tria quæ ibidem Deus poſuit in ſupremum potentiæ ſuæ, ſapientiæ, bonitatis, amoriſque teſtimonium, voluit Chriſtus Dominus noſter manere quaſi comprehenſa in hoc cœleſti Sacramento, vt ſit ſupremum teſtimonium, quo omnia hæc primaria confirmet attributa; verumtamen ſupra omnia amoris attributum; nec ſit in quo eſt aliquid tantæ bonitatis ſuæ, & quatenus teſtimonium illud omnibus magis amplificetur vult vt ipſum ſumma communicetur abundantia; vt inde perſpicuum ſit quod ſit : *Vitæ ſpiritualis nutrimentum datum gratioſe.*

Hinc ratio colligitur qua motus Chriſtus tanta panem hunc cœleſtem dederit abundantia, amoris ſui virtute inſtitutum. D. Aug. inhæret verbis illis Exodi : *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo.* Quare, inquit, *Panes*: Eratne manna panes in plurali? dubium auget Ruper. ex verbis Chriſti ; *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo ſed Pater meus*, & David cecinit; *Panem Angelorum manducauit homo*, & Salomon ait, *Panem habentem omnem ſuauitatem.* Cur ergo in plurali *Panes*, & vtitur verbo *Pluam.* Audiamus Ruper. *Et quidem illic panem cœli, panem Angelorum ſingulariter; hic autem pluam vobis panes, pluraliter dictum eſt, nullam tamen ſufficeret diſſonantiam. Secundum ſe panis vnus Chriſtus, vel vnum corpus Chriſti, veruntamen ſecundum locales Eccleſias, & ſecundum differentium perſonas, ſine acceptione innumerabiles populos, cibaria ſiue panes pluraliter recte dicas. Verbum ipſum pluit quo vtraque vſa eſt Scriptura, in iſta Deo dicente; Ecce ego pluam vobis, in illa autem pluit illis manna ad manducandum, eandem vbique terrarum paratam omnibus puſillis & magnis ſignificat copiam. vt de ſe ipſo magnus Propheta dicat, Paraſti in conſpectu meo menſam, & de nobis licet minimis; Edent pauperes & ſaturabuntur, viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.* Illa loquendi formula ſtupenda ſignificat Spiritus S. myſteria, ad confirmationem abundantiæ & vbertatis huius V. Sacramenti.

Lib. 5. Locut. in Exo. locut. 74.
Exo. 16. 4.
Panis manna deſig. nat V. Sacramentum.
Pſ. 77. 25.
Sap. 16. 20.
Rup.

Cete-

Exo. 16. 12. Ceterum nefas eſt præterire quod circa illam idem expendit Ruper. illud exponens: *Veſpere comedetis carnes & mane ſaturabimini panibus. Quid hoc?* inquit. Quia murmurationes eorum audiuit qui in Ægypto carnibus paneque veſcebantur *In ſaturitate.* Hunc igitur vobis, Dominus ait, ego miniſtrabo; *Quid hoc? Veſpere*, lex eſt vetus, in qua de carnibus, animalibus tractabatur. Pro noua verò lege, quæ dies eſt, *Dies appropinquauit*, abundantia panis eſt. Quomodo dicis; *Et ſaturabimini?* Dixit Ioel carnes illæ non ſatiabant; panis autem hic ſatiat comedentem; correſpondet illi quod dixit David: *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*: nam comedendo hunc panem ſatiantur & gaudio replentur & exultatione. Veſpera fuit eius Adam qui nos perdidit & dolorem luctumque cauſauit. Matutinum lætitia, quia illa perfruuntur, qui ſicut par eſt, hoc pane veſcuntur. Hæc eius verba depromo; *Lætamini coram Domino Deo veſtro. Recte per veſperam veterem vitam, in qua carnes taurorum & ſanguinem hircorum ſacrificauerunt Iudæi. Per mane autem nouam vitam intelligimus, in qua præcurrente ſummo Sacerdote Chriſto ſacrificant, & pane cœli ſaturantur Chriſtiani.* Id circo Chriſtus illum tanta præparauit abundantia; *Mane ſaturabimini panibus.*

Pſ. 26. 6.

## §. 8. *Hic ſe Deus contrahit & extendit, vt dixit Oſee, & inuitat ruſticos, & peregrinos, & nobiles omnes ſimul, melius quam Ioſeph.*

20 Egregie declarauit hoc ipſe Dominus per Oſeam; *Quia puer Iſrael, & dilexi eum, ex Ægypto vocaui filium meum. Et ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, &c. in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum & declinaui ad eum vt veſceretur.* O Iſrael inquit Deus quem optime noui, & fuit mihi filius primogenitus, quem in manu forti eduxi de Ægypto; verumtamen Ephraim vberibus meis alui. Metaphora ſumitur à matre. Valde frequens eſt matres tenerius diligere filios ſecundo genitos, quas ipſis natura conceſſit, eo quod patres feruentius diligant primogenitos. Parit mater filium, ſufficit talem eſſe vt illum amet; porro eſt ipſa primo puerpera, nec apta eius educationi; quem idcirco affecta tædio nutrici committit educandum. Secundum parit filium, & hic eſt illi dilectus, atque hunc meis volo nutrire mater vberibus.

Oſe. 11. 1. 3. 4.

I. Similitudo.

Diuina ſapientia duos genuit filios; primus fuit Iſrael populus nempe Iudaicus, *Filius meus primogenitus Iſrael.* Hunc licet amauerit atque de Ægypto tulerit, porro moleſtus hic Deo fuit, unde tradidit illum nutrici educandum, ſcilicet Moyſi. In eum finem illum elegit, atque illi: Eia Moyſes, nutrito mihi filium hunc, turſque geſtato pectoribus. Dolenter ſentiſ Moyſes laborem hunc quem ille ſibi adferebat, totus tædioſus aliquoties dicebat; *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi; porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuraſti patribus eorum?* Secundo natus filius populus eſt Chriſtianus, quem vocat Ephraim id eſt augmentum, quia filius eſt adauctus & exaltatus, cui diuitias ſuas ſuamque ſeruauit hereditatem. Huic ait, hunc ego velim meis nutrire vberibus, meiſque geſtare brachiis infantulum. Nutrix quæ ſuis infantem nutrit vberibus, eodem illum ſuſtentat alimento quo ipſa ſuſtentatur & paſcitur, verumtamen ſuo calore digeſto, & in candidiſſimum lac conuerſo, in quo ſuam puero tribuit ſubſtantiam. In mundo naſcitur Princeps illuſtriſſimus, indiget alimento, comedere tunc non poteſt perdices, capones, aues pſaſidis, comedat illas nutrix ſibique incorporet, digerat, & conuerſas in lac ſuauiſſimum infantulo præbeat ad vbera ſuſpenſo. Hunc filium primogenitum ſuſtentauit Deus bonis terrenis, hæc illi offerebat, *Si audieritis me bona terræ comedetis*, & ad ſummum manna dedit illi cibum Angelicis manibus compoſitum verumtamen populum Chriſtianum eodem quo ipſe, nutrit, vt nutrix illi factus amantiſſima.

Deſcendit Deus in mundum, dedit que nobis poteſtatem filios Dei fieri Dei inquam filios per participationem. Neceſſarium erat vt quandoquidem nos Deos creabat, etiam nobis cibum miniſtraret Dei & alimentum. Deus ſeipſo paſcitur, ſuuſque cibus, ſua eſt ipſa eſſentia, ſua gloria, omnipotentia maieſtas & vita. Volebat nos Chriſtus enutrire ſua propria perſona, ſuo corpore, anima ſua, ſuoque ſanguine; vt nos quid vnum ſecum efficeret, Quomodo [illegible] non enim in nobis vires ſunt quibus tali veſcamur cibo, nam ſumus infantes? quando Dominus myſterium hoc publicauit, & dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*nerit eius ſanguinem; non habebitis vitam in vobis*: plures ſcandalizati ſunt & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Non videntur in nobis dentes quibus bolum hunc adeo durum maſticemus: in hunc finem nutrix hæc cœleſtis totum hunc digerit calore amoris ſui diuini feruentiſſimo, cumque præparat & coquit quem conuerſum in lac candidum & ſuaue nobis ſumendum porrigit in SS Sacramento. Per hoc argumentum expoſuit D. Thom. *a*. & prior illo ſignauerat Theodoretus. *b*. illa verba D. Petri: *Quaſi modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite.* Vocat SS. Sacramentum Lac rationabile, & ſine dolo: differt hic cibus ab eo quem propoſuit parentibus noſtris diabolus: fuit enim irrationabilis & doloſus: quandoquidem hominem prius rationabilem effecerit vt beſtiam irrationabilem dolis circumuentum. Non eſt de hoc lac illud diuinum arguendum, ſed hominem beſtiam, rationalem reddit & ſapientem, nec doloſam obtrudit Diuinitatem nec mendaciis agit vt ille, ſed veram tribuit Diuinitatis eſſentiam. Domini, huic filio adaucto Ephraim quid facies? *In funiculis Adam traham eos. in vinculis Charitatis.* Legunt Septuaginta Aquila, Symmachus, & Theodocion: *In funiculis hominum.* Lapides, ligna, tauros, & animalis funibus ligamus & trahimus cannabinis: ſeruos & mancipia ad illa trahitis quæ vultis ſed minis, ſcuticis & ſuppliciis: homines vero liberos ac ingenuos promiſſis allicitis, quibus eorum incitatis mouetiſque voluntatem. Non illos traham (inquit) funibus materialibus, nec ferocibus adigam terriculamentis, ſed promiſſis alliciam ſuauioribus, & amicis mulcebo lenimentis: hoc eſt, *In vinculis charitatis.*

Ecce qualiter Chriſtus agat cum hominibus, quænam opera monſtret amoris; recreat illos, demulcet illos, lauat illis pedes, ad quos ſe proſternit, atque in ſeruum illis ſe conferat. An hoc Domine, tibi ſufficit? non ſufficit: *Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eum vt veſceretur.* Ego iugum auferam quod maxillas eorum comprimit, daboque illis ad veſcendum. Quænam hæc eſt loquendi phraſis? Quis vidit vnquam iugum ſuper maxillas boum? iugum ceruicibus non maxillis imponitur. Hoc modo loquendi, qui videtur improprius animalibus, profundum voluit declarare myſterium quod præ manibus habemus. Eo tempore quo Deus hominem creauit, ſuper maxillas eius iugum iniecit, quo conſtrinxit illas & rigido illo compreſſit mandato: *De ligno ſcientiæ boni & mali, ne comedas.* Homo Diuinitatis auidus ſibi perſuadens quod comedens, illam obtineret, ſicut diabolus illi perſuaſerat, comedit? & nedum factus non eſt Deus, ſed in iumentum mutatus & miſeriarum ſterquilinium. Illum ad me traham dicit Dominus: *In vinculis Charitatis*: & quænam ſunt illa? Promiſſa quibus illi ſpondebo eſſe quoddam diuinum, addicam illi Regna mea, gloriam meam, meamque diuinitatem: atque ad hoc tollam iugum quod in principio maxillis eius inieci, ne comederet, daboque illi cibum qui in rei veritate reddat illum Deum per participationem, vitamque tribuat diuinam. Domine quo cibo nutries illum? Non dicit quem illi cibum ſit largiturus: talis etenim eſt, vt nomen non habeat quo perfecte planeque declaretur. Gen. 2, 17

VII. David de V. Sacramento prophetat.

Quantum opinor hac loquendi formula Dauidem notat de hoc myſterio differentem, ſupponendo illud quod Deus populo ſuo fecerat antiquo, filioque primogenito: *Deus cum egrederis in conſpectu populi tui. cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt.* Quando, Domine, populum tuum filium primogenitum eduxiſti de Ægypto, non leues excitatæ ſunt in terra commotiones ex mirabilibus quæ operatus es, fuitque illud præcipuum, quod *Cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael.* Loquitur de manna quod ex præcepto Dei cœli demiſerunt populo illi Dei. Tantum dicit Dauid quod *Cæli diſtillauerunt*, ſed non declarat, quænam fuerit iſta diſtillatio: quia cibus ille erat adeo præclarus, vt in ſe ciborum omnium dulcedinem guſtumque complecteretur: idcirco nomen non habuit ſibi proprium, nam nomen manna magis ſeruit ad exprimendam admirationem quam ingeſſit, dum illud viderunt Iſraelitæ, quam ad declarandam eius ſubſtantiam: nam tunc admirati exclamauerunt: *Manhu? quid eſt hoc?* Cum igitur filio illi primogenito Iſrael fueris adeo munificus, vt cibum illi dederis, in quo quia cibos omnes comprehendiſti, nomen non eſt inditum illi ſingulare ſubſtantiæ eius expoſitiuum: quid eſt Domine, quod filio tuo chariſſimo & adaucto Ephraim aſſeruaſti? *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Pauper hic populus eſt Chriſtianus, terrenis inops, nam illa populo data ſunt Iudaico. Huic paraſti & quid eſt quod illi paraſti? non hoc explicat, quia verbis nullis poteſt exprimi, tantum dicit *Paraſti in dulcedine* Pſ. 67. 8

amoris tui. Amore flagrans hominis quid illi præpararet? Cibum, in quo omnes diuitiæ Dei, ipſe Deus, eius gloria, maieſtas, ſapientia, omnipotentia, caro, anima, ſanguis, vitaque continentur. Et bene quidem dicit *Paraſti*: quia cibum hunc non poterat homo comedere ſicut in ſe eſt, nec bona hæc deglutire in propria ſpecie, nec propria Chriſti perſona ſaturari, ſicut in ſe erat: parauit illum, coxit illum amor eius & dulcedo, quia Charitate liquefiebat hominum, duobus brachiis ſapientiæ & omnipotentiæ.

VII. Quid ſignificet hic *declinaui*.

Inter omnia myſteria quæ Deus in præfatis Oſee verbis intimauit, ſingulare complectitur Sacramentum verbum illud, *Declinaui*, dum ait, *Declinaui ad eum, vt veſceretur*: quamuis enim interpretes varient ex vna & altera parte meo quidem iudicio illo potiſſimum vſus eſt Spiritus Sanctus ad huius cœleſtis myſterii expoſitionem. In hebræo verbum legitur *At*, quod duo ſignificat quæ ſibi videntur oppoſita & omnino contraria Primo: ſignificat extendere ſeipſum quantum fieri poteſt, & eo ſenſu ſumit illud Sancta Scriptura quando indicare vult extenſionem brachii quantum fieri poteſt: ita capitur quando dixit Moyſi; *Extende manum in virga*: & quando Moyſes declaraturus quod Deus brachium ſuum potentiſſimum extendere; contra inimicos ſuos ſic ait: *Extendiſti dexteram tuam*. Secundo: ſignificat contrahere ſe, & ſubducere ſilenter ac ſine ſtrepitu: eo ſenſu Deus expoſuit eodem verbo contractionem Regis Achab quando dixit Eliæ: *Numquid vidiſti Achab humiliatum coram me?* Nam contractus & humilis inſtar ouis incedebat. Quid ergo ſignificat: *Declinaui*? An indicat, quod ſe extenderit quantum potuit, vel quod ſe contraxerit quantum potuit? vtrumque fecit: vt cibum illi erogaret, dicit primo: *Declinaui* id eſt ampliaui me & extendi quantum poſſibile fuit: & ſic ſe res habet: nam in hoc cibo dedit Deus quantum dari erat poſſibile: ita vt amplius extendere manum non potuerit, nec brachium ſuæ omnipotentiæ, nec amoris ſui.

*Exod. 9. 5. 16.*

*Exod. 15.*

*3. Reg. 21. 29.*

VIII. In V. Sacramento ſe Deus & extendit & contraxit.

IX. Conuiuium Iſaiæ confirmatur in quo Dei manus requieuit.

*Iſai. 25. 6. 20.*

Ad regulam cadit hic Iſaiæ vaticinium, tantum futurum illud donum, quod Deus daturus erat in hoc conuiuio, quod inſtructurus erat in monte Eccleſiæ, vt in illo manus ſua extenderetur munifica, & requieſceret illa, quæ numquam à dando deſiſtit, quia in hoc quantum poſſidet elargitur. *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium &c & requieſcet manus Domini in monte iſto.* Dicit hoc eo modo, quo dixit idem Propheta, quod alias expoſuimus, locutus de Chriſto: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Iudicauit Diuus Paulus quod amplius non poſſet Pater æternus manum extendere, quam eam extendit; nobis filium ſuum tradens noſtra contectum humanitate, qui filius ſuus is eſt, in quo totum ſuum eſſe, potentia, bonitas, & gloria comprehenditur: *In quo ſunt omnes theſauri &c.* Illum nobis dando (ſic Diuus Paulus) *Quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Idem ego de filio pośco: Tantum manum ſuam explicauit, vt ſuam nobis munificus dederit humanitatem, in qua ſuos omnes complexus fuerat theſauros, accidentibus panis abſconditam: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quid hic D. Petrus Chryſol. *Qui tantum tantum [illegible] ranis ad victum, quid in illa manſione perpetua non tibi parauit?*

Prædictis conformiter ait Apoſtolus, *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens*, figuram inquam, & ſpeciem panis, ſe tantum extendit, vt ſeipſum effuderit atque euacuauerit. Conſiderandum an plura facere potuerit, aut quid melius, an illi ſuperſit in tota ſua omnipotentia, quinimo in ſua eſſentia aliquid æſtimabilius. Ex altera parte notandus eſt contractus contractione quadam ſumma, profundo ſilentio, nulloque ſtrepitu, ſicut eſt in hac buccella: nam in minima quantitate quæ eſt punctum aciculæ totus continetur. Hic totum eius eſt corpus, omnia eius oſſa, tota anima, omnis ſanguis, totumque eſſe Dei cum attributis ſuis infinitis. Contraxi me inquit, vt cibum ei miniſtrarem. Dare volebat nobis tantum quantum ipſe comedit, & omne quicquid poſſidet, & quantum Angelis ſuis ac beatis in cœlo concedit. Nobis nihil minus largitur. Ibi ſe extendit quantum poteſt, quandoquidem ſe totum omnibus tradat, & hoc quidem manu ſupra modum effuſa: *Ibi magnificus eſt Dominus Deus noſter*, ait vates Iſaias locutus de conuiuio quod electis ſuis in gloria præparauit. Porro hic quantum ſe in dando extendit, tantum ſe in modo contrahit. O caſtiſſime Ioſeph, qui corde flagrans ardenti erga fratres ſuos illos inuitat ad conuiuium, nec non Palatii Ægyptii nobiliores: verum oritur difficultas in modo faciendi conuiuium: non enim comedebant Ægyptii Hebræi nec cibus hoc modo illis conuenit conuiuus: *Illicitum eſt Ægyptiis comedere cum hebræis.* Prudentiſſimus ille Ioſeph dilig[illegible]

diſponit illos eo modo quem deſignat S. eloquium, & illo modo ego interpretor, collocatas fuiſſe duas menſas quæ in angulum deſinerent, in cuius capite ſedebat Ioſeph & ad menſam manus dextræ nobiles aſſidebant aulæ Regiæ, atque ad ſiniſtram fratres illius ex itinere viatores & peregrini. Et quomodo? Omnes eodem cibo veſcuntur Ioſeph eiuſque magnates, & peregrini Hebræi fratres, ſed diuerſo modo preparato: vno modo pro Regni optimatibus, idque modo aulico cum delicijs ac condimentis Palatij, peregrinis autem modo groſſiori peregrinorum; ita vt & hi & illi vno eodemque recrearentur cibo, diuerſo licet condimento præparato. Ioſeph in angulo reſidens & his & illis præſidens primarius cum Palatinis cibum ſumit modo conditum Palatino, & peregrinis atque aduenis modo conueſcitur peregrino.

O Chriſte mi, Ioſeph ſanctiſſime quanto cor tuum amoris igne flagrat fratres tuos diligens peregrinos in mundo. Domine prandium illis ſaltem; perplacet; & quid illis propones? idem quod Palatij mei magnatibus electis ſcilicet beatis. Quis Chriſtum videat in capite menſæ recumbentem? non tantum menſam illam intueatis in hoc paratam cænaculo, ſed aliam perpende beatitudinis, cuius tam egregiè meminit, dum Apoſtolis ait, *Edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Beatis cibum adminiſtrat illis Regni ſui nobilioribus, & ſimiliter fratres ſuos excipit conuiuio peregrinos Apoſtolos. Quid illis in cibum proponis? Idem ferculum; etenim omnibus eandem apponit diuinam eſſentiam, ſe ipſum & quidquid in ſe complectitur; verumtamen illis conditum more palatij, clarè & diſtinctè in propria ſpecie, *Sicuti eſt* inquit D. Ioannes; his autem modo viatorum & aduenarum; modus ferculi peregrinorum eſt panis & vinum; in hac forma illud exporrigit, atque in hac ſpecie, & cum illis pariter veſcitur; quia ſicut beati, Diuina ſua fruitur eſſentia, & ſeipſo in propria ſpecie, & ſicut viator, modo viatoris in ſpecie panis & vini; quia realiter & verè ſeipſum communicauit, recipiens SS. Sacramentum in ambabus ſpeciebus. Hic eſt eius amor, eo vſque accedit; vnde bene dixit D. Ioannes, quod amor ad vltimum vſque potentiæ acceſſerit; *in finem dilexit eos.*

Luc. 22. 30.

1. Ioan. 3. 2.

§. 9. Domine, tu mihi lauas &c. *Hæc duo Chriſti opera prædixit Iſaias tam admirabili myſterio, vt magis Euangeliſta, quam Propheta eſſe videatur.*

QVantum ſapio hæc omnia vatidicus prædixit Iſaias tanta verborum proprietate, vt crediderim quod dicendo tam clare hoc ipſum reddiderit quaſi obſcurum, quia ſolitos videbatur excedere obſcuritatis limites & terminos quibus Prophetæ vtebantur. Quando Deus piſſima ſua motus miſericordia ſecundum conuertit Paulum dico D. Aug. matris ipſius inductus lacrymis S. ſcilicet Monicæ atque eo fine aſſumpſerat D. Ambro. Eccleſiæ Doctorem eminentiſſimum, conſilium petijt D. Aug. ſicut ipſe refert ab eodem magiſtro ſuo D. Amb vt ſibi diceret qualem ex ſacris libris poſſet aliquem euoluere, ex quo melius myſteria caperet gratiæ S. Euangelij. Conſuluit illi D. Ambr. vatis Iſaiæ lectionem: qui magis videtur Euangeliſta præteritam narrans hiſtoriam, quam Propheta futura prænuntians. Singulariter id dici poteſt de eo quod ſcripſit cap. 64. in quo luculenter nobis deſcribit myſteria quæ tractamus vt verè neſciam quænam aptior adferri poſſit eius prophetiæ declaratio, quam ſi illam huic hiſtoriæ conferamus. Capitulum exorditur, aduentum Meſſiæ à Deo poſtulans: hic etenim cor eius affligebat acerbius: & ardentiſſima huius explicans deſideria, ſic intonat: *Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes. à facie tua montes defluerent &c. aquæ arderent igni* O Domine mi, quis det nobis ut venias, libenter cœlorum pateremur rupturam & montium euerſionem & aquarum exuſtionem: q. d. modo venias omne damnum lucrum erit & omnia ſic bene impenſa vt numquam melius.

23

Lib. 9. Conf. c. 5.

Iſai. 64. 1.

I. Explicatur hæc prophetia de Chriſti aduentu.

Confeſtim conſiderat illum nunc in mundum veniſſe natum, & ætate prouectiorem qua iam prædicet, patretque miracula: atque ad exprimendam eorum magnitudinem ſic ait: *Cum feceris mirabilia, non ſuſtinebimus. Deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt. Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Per hoc tanto ſtupore percellentur intellectus, vt niſi tu illos illumines, tenebris obſcurabuntur ut talia nequeant capere myſteria. Inquirunt hic Doctores quodnam ſit hoc tempus tanta faciendi mirabilia? quænam ſunt hæc quæ comprehendi nequeant nec co-

Ibid.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum penetrari magnitudo? Quis hic deſcenſus Domini quo factum eſt vt montes defluerent & in terram proni corruerent? Quænam ſunt hæc, quæ ſecluſa luce, & nulla præuia declaratione aſſerit capere poſſe neminem?

Porro reperio claram huius vaticinii hanc eſſe declarationem, ſi præſenti illam conferamus hiſtoriæ. Quodnam eſt tempus opportunum quo Meſſias in mundo ſua faciat miracula? Dicat hoc dilectus ille Diſcipulus D. Ioan. *Ante diem feſtum Paſcha, ſciens Ieſus, quia venit hora eius.* Quod tempus eſt hoc o Euangeliſta, quod appellas horam eius? An forſitan hæc eſt hora eius? magis videtur hora fuiſſe inimicorum eius; quandoquidem in illa data eſt eis poteſtas ac facultas quæcumque voluiſſent exequendi contra Chriſtum, & eam ſic ipſe nominat illis locutus: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*; ſicut hora lupi eſt, quando nihil minus cogitante paſtore, locum inuenit quo rapiat oues, ſuamque cum illis furentem expleat libidinem. Verumtamen magis noſtra videtur hora; quandoquidem quidquid in ea geſtum eſt, nobis ceſſerit ad bonum & redemptionem; vnde & illa fuit tantopere rogata requiſita, deſiderata; nihilominus optima ratione dicitur hora eius.

II. Qua fuerit hora Chriſti.

Luc. 22. 53.

Primo; vt oſtendatur hanc fuiſſe horam determinatè ſtabilitam, & ab illo deſignatam, qua pro hominum ſalute moreretur. Mortuus non eſt quando Iudæi voluerunt nec quando hoc inimici conati ſunt, ſed in illa hora quam ipſe ſibi præſtituerat, qua ſe manibus eorum traderet occidendum. Ea phraſi D. Matthæus ſtellam quæ Magos duxit appellauit, ſtellam eius; *Vidimus ſtellam eius*: id eſt, ſtella hæc eius gratia ſingulariter creata eſt, & miſſa quaſi eius præcurſor & legatus, quæ licet elinguis melius tamen loqueretur quam orbis totius Oratores eloquentiſſimi. Secundo; dicetur hora eius eo modo quo in claſſibus & Vniuerſitatibus ſinguli Cathedratici horam habent, quam dicunt ſuam, qua debeant Cathedram aſcendere. Decreuerat Deus multos in hac mundi claſſe Doctores eſſe Cathedraticos qui docerent. Prima hora fuit Patriarcharum, qui in lege naturæ operibus ſuis ſanctis & virtutibus alios erudierunt; ſecunda ſacerdotes accepit legales, qui ceremoniis ritibuſque ſuis myſteria docebant ventura; hanc ſecuta eſt hora tertia Prophetarum, qui vaticiniis & nuntiis quæ proferebant ex parte Dei; quod conuenienserat, prælegebant, nunc autem appropinquat hora cœleſtis Cathedratici ab æterno Patre promoti, qua crucis Cathedram aſcenderet, & in ſe ipſo lectionem proponeret Euangelii in actu exercito & viuo, filios docens obedientiam, ſubditos pietatem, offenſos charitatem, diuites miſericordiam & munificentiam, vulneratos & languentes patientiam, perſecutionem patientes tolerantiam, omnibuſque tandem exhibens perfectiſſimum virtutum exempla. Hæc eſt hora eius.

Mat. 2. 2.

Tertio dicitur hora eius ea formula loquendi quæ conuenit pictori, nam primo famuli illius linteum præparant, lineas ducunt & vmbras, & quoſdam denotant cælaturas, quo perfecto pictor magiſter huic vitam & perfectionem tribuit picturæ, manu propria viuos ſuperaddens colores, & perficiens quidquid famuli ante delinearant. Iam à mundi principio huius Domini famuli depingere noſtram inceperunt redemptionem, prima lineamenta vmbraſque duxerant, innumerabiles depinxerant, figuras imperfectas & varia exemplaria typoſque delineârant. Nunc igitur experti ſſimos ille pictor viuos daturus eſt colores, & ſpiritum his omnibus imaginibus eſt facturus; quod ab eo feruenter expoſtulauerat vates Abacuc, *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud.* Et hora quod ipſe dixerat, ea omnia eſſe implenda quæ Prophetæ de ipſo pronuntiarant, *Conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.* Modo complebuntur omnia quæ ad meam ſpectant perſonam, vnde & hæc eſt hora mea. Quarto; dicitur hora eius eo modo quo dicitur hora ducis inuicti & belicoſi ea qua contra ſuos in campum prodit aduerſarios. Sicut dicebatur hora Dauid, quando viſo gigante occurrit illi ex aduerſo manu fundam arripiens & de pera ſua depromens lapidem; & hora dicitur curſo is qua in ſtadio palmam ab aliis currit erepturus; ſolemus enim dicere hæc eſt hora ita hæc eſt. Hæc eſt modo hora qua ſtrenuus ille Dux & miles robuſtiſſimus contra ſuos dimicare debet aduerſarios, dæmonem, mortem, & peccatum, eoſque in palæſtra Caluariæ ſuperare. Hæc ea hora eſt, qua curſor hic leuior quam Aſael, quem Dauid gigantem nominat, curſurus veniebat in ſtadio adeo longo & aſpero ſuæ Paſſionis vt nobis palmam aſſequeretur, & id quod D. Paulus nominat Brauium. Hæc eſt hora eius.

Porro noſtræ dicamus conformiter interpretationi, quod hanc nominet horam eius, quia hora fuit mirabilium eius; & hoc valde conuenienter modo loquendi quo Dominus ipſe vitur,

tem, ut refert idē Euāgeliſta qualiter in nuptiis, Canæ Galilææ, cum mater ejus Virgo puriſſima requireret ab eo vt præſenti conſuleret vini neceſſitati & defectui, illi reſpondit: *Nondum venit hora mea.* Quam vocauit horam ſuam? Diuus Irenæus intellexit horam ſua faciendi miracula: quia ſecundum viam ordinariam erat determinatum, necdum illa operari, donec accederet Ieruſalem ad primam Paſcha, in quo decreuerat ſeipſum mundo manifeſtare: & ita ſenſit D. Ambroſius *a* hinc quoque collegit D. Cyril. *b* quod tantum potuerit Virgo mater apud filium ſuum, vt petitione ſua ipſe per motus horam faciendi miracula præueniret. Igitur ſi ipſe dicat. *Hora mea*, de eâ quæ eſt faciendi miracula, meritò quadrat hoc nomen horæ mortis ejus: etenim hic ſuprema fuerunt & eminentiora miracula, talia ſcilicet quibus cœlum nubibus obtegitur, ſol obſcuratur, terra contremiſcit, ſaxa colliſa ſunt, ſepulchra aperta, & illi qui dum hunc ex figuris quæ fecerat in vita ſua, non agnouerant, illum agnouerunt ex illis quæ fecit in morte ſua. vnde reuerſi ſunt pœnitentes ſuaque pectora tundentes: alii exſpectatoribus cum Centurione fatebantur: *Verè filius Dei erat iſte.* Quinimo ad hanc horam Chriſtus Phariſæos citauerat, quando judicantes & calumniantes parua eſſe miracula quæ viuens faciebat, alia majora ab illo quæſierunt, quos in horam mortis ſuæ remiſit, quâ ab ipſa ſicut Ionas à ceto deuoraretur. Hoc igitur tempus eſt Chriſto edendi ſua miracula. Qualia futura ſunt? Talia futura ſunt (inquit Propheta) quod ea ſuſtinere non poterimus: *Cum feceris mirabilia, non ſuſtinebimus.* Modus hic eſt vt arduus ita mirabilis loquendi, ſed euidens & proprius illi quod modò diſcutimus.

Rectè ſcopum attigit Tertullianus dum ait quod licet beneficia & dona, quæ præſtare poſſunt principes, nonnulla ſint adeo inſignia, vt ea ſubditi nequeant ſuſtinere: *Sunt in bonis, ſicut & in malis quædam intolerabilia.* Quòd Rex intimo ſuo in amoris ſignum ſua tradat monilia & theſauros, eumque titulis honoret dignioribus, ditet juriſdictionibus, cenſibus, villis, ciuitatibus, præclara ſunt hæc, fateor beneficia, ſed tolerabilia & quæ tranſire poſſunt, ſuſtineri, & de facto ſuſtinentur: verumtamen ſi Rex conſpiciens ſibi familiarem calceos habere immundos, ad pedes ejus ſe proſternens illos propriis manibus emundaret atque pallii ſui fimbria expurgaret, an poſſet hoc ſuſtineri, an exſpectari? Tu videris an illud ſuſtinere poſſes, & quitus eſſes illud ſuſtinendo? Quid ampliùs, ſi Rex amicum hunc ſibi cernens fame ſitique languentem, pararet illi fercula de ſua ipſa menſa ſapidiora, vinaque de cellario ſuo propinaret pretioſiora in eodem calice ex quo bibit ipſe, fauor hic eſſet ſupremus, & nemo negat, ſed tolerabilis, & qui poſſet ſuſtineri: verùm ſi eadem tempeſtate cerneret hic familiaris, quòd Rex munus injiceret vberibus ſuis, eaque præſcinderet vt propriam illi carnem porrigeret in cibum, nec non venas ſibi aperiret quo proprium ſanguinem illi præberet hauriendum, quomodo pateretur illud, quomodo ſuſtineret? Quis tanti doni valeat pondus ſufferre, quis ſuſtinere?

Notandum igitur quàm appoſitè declaret Propheta beneficiorum donorumque pondus, quæ Chriſtus tempore ſuæ paſſionis eſſet collaturus, talium inquam quæ tolerari non poſſent, non ſuſtineri. Quod Apoſtolos ſuos inter omnes mundi mortales eligeret, ſibi coadunaret, poteſtatem eis traderet faciendi miracula, dæmones effugandi, cum illis comederet, biberet, conuerſaretur, beneficia ſunt hæc præclara, ſed tolerabilia: ſed ea quæ modo præſtat, cum ſua tollit veſtimenta, ſe præcingit vt ſeruus, peluim accipit, aquâ replet, ad pedes ſe proſternit diſcipulorum eos lauaturus, pectore in terram procliui, quis hic homo ſuſtineat? quòd ipſe vt illos ſuſtentet, propriam præbeat illis carnem in cibum & ſanguinem in potum, quis hoc mortalium patiatur? Principem attende Apoſtolici gregis D. Petrum, quàm attonitus hæreat, quomodo ſe ſubducat, dicendo: *Domine, tu mihi lauas pedes? Non lauabis mihi pedes in æternum.* Conſidera verum poſſet factum hoc geſtuſque D. Petri deſcribere euidentiùs, aut magis propriè, quàm eo quod dicit Propheta: *Cum feceris mirabilia, non ſuſtinebimus.* Tu Domine, mihi? non patiar illud in æternum. Quis ergo pondus illud alterius ſuſtineat beneficii, quo ſeipſum in ſanctiſſimo Sacramento præbet in cibum potumque fidelibus? tantum eſt hoc beneficium (inquit Propheta) vt illud nec tolerare poſſimus nec ſuſtinere: *Non ſuſtinebimus.* Mirare mecum egregiam ſane ſanctiſſimam litterarum correſpondentium & quàm apertè D. Ioan. oſtendat impletum idque iiſdem verbis quod Propheta de hoc myſterio prædixerat.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ioan. 6.*

IV. Tale fuit V. Sacramenti inſtitutio.

Enarrat glorioſus Euangeliſta quòd dum Chriſtus donum hoc manifeſtare inciperet ex occaſione beneficii quo turbam innumerabilem quinque panibus & duobus piſcibus aluerat in deſerto, illis dixerit: quòd alium cibum illis præparauerat carnis ſuæ & ſanguinis; ad vitæ nutrimentum multò dignius, & efficacius: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem &c.* multi quinimo quidam eius aſſeclæ & doctrinæ ejus diſcipuli, claſſiſque ſtudioſi, tantum hoc, & exceſſiuum judicarunt huius promiſſionis eſſe pondus, vt non eſſet, qui ſufferre poſſet illud & ſuſtinere, quocirca illi valedicentes retroceſſerunt, dicentes: *Durus eſt hic ſermo & quis poteſt eum audire*, quis ſuſtinere? compara illud: *Quis poteſt ſuſtinere?* horum, cum illo Prophetæ, *Non ſuſtinebimus.* Ferre non potuerunt tanti beneficii pondus, vnde quaſi ſcandalizati abierunt retrorſum, claſſem eius deſerentes, adeoque hi commoti ſunt ceteriquæ Iudæi hæc ab illo audientes, vt idcirco adeo grauem intulerint Chriſto perſecutionem, vt ea de cauſa ſe ſubduxerit & quaſi fugam inierit vt probat Rupertus agens de ſeptem perſecutionibus quas Iudæi Chriſto commouerunt, inter quas hæc tertia numeratur. Quis igitur hæc magna non dicat eſſe beneficia? audite Diuum Gregorium Nazianzenum: *Hæc magna commendatio miſericordiæ Dei, quod talia egit, quæ non creduntur ab hominibus. Ariani ideo Chriſtum contemnunt, quod linteo præcingitur & diſcipulorum pedes abluit &c.* Opera, & miſericordiæ hæ ſunt adeo ſublimes, vt quia tales ſunt, multi fidem illis non adhibeant: verumtamen intentioni Saluatoris erant neceſſariæ: quocirca ipſe eas exponere dignatus eſt, earumque proponere rationem: etenim abſque eius lumine ſagaciſſimi etiam intellectus excæcabantur, teſte Propheta: *Oculus non vidit Deus abſque te &c.* idcirco ſuam Dominus Petro declarare cœpit intentionem, eum per hoc illuminaturus.

*Lib. 2. in l. 1. Reg. c. 8.*

*D. Gre. Orat. 2. in S. Paſcha.*

§. 10. Scitis quid fecerim vobis? *Duas ædificaturus virtutes humilitatem, & charitatem ſtatuit Chriſtus hæc duo opera, velut fundamentum.*

27 DVas virtutes voluit Diuinus hic Dominus figere in diſcipulorum ſuorum, noſtrorumque cordibus, quæ ceterarum ſint ſtabile fundamentum. Prima eſt humilitas, quam qui non habet, opera tamen exercet virtutis, illi comparatur qui domum ædificat nullo præmiſſo fundamento, quæ ſtatim ad ima corruit. Vnicus actus ſuperbiæ deſtruere potuit virtutes Angeli ſupremi præclariſſimas, atque creaturam omnium pulcherrimam in dæmonem mutauit omnium turpiſſimum: & actus vnicus perfectæ humilitatis publicanum peccatis repletum præparauit vt inter cœleſtes locaretur Seraphinos. Dominus vt hanc tantò ſolidius virtutem fundaret, ſeipſum vt lapidem ſtatuit angularem in fundamentum, ita profundum & humiliatum, vt ſe per terram proſternat, & hominum pedibus ad voluatur in forma ſerui, peluim aquâ plenam manibus arripiens. Quiſnam hujus exempli ſequetur effectus, niſi deſtructio montium & impletio vaticinii Iſaiæ: *Deſcen[illegible] diſti: à facie tua montes defluxerunt.* Montem illum attende præcelſum Petrum Apoſtolorum primicerium, qualiter ad præſentiam Chriſti proſtrati & humiliati, ſe proſternat & humiliet, vt ni fallar, ſeipſum ad pedes Domini dejiciens, multò ſincerius & humiliùs quàm dum à Deo videns fieri miraculum, *Procidit ad pedes Ieſu,* dixitque illi: *Exi à me Domine quia homo peccator ego ſum.* Potiori ratione hoc idem modò diceret, & mihi perſuadeo idem facturos Apoſtolos, montes illos excelſos, & Principes Domus Dei primarios.

Appoſitè proferimus hic, quòd paulò ante diximus de montibus & colliſibus torrentis Arnon qui in terram collapſi ſunt ad conſpectum arcæ fœderis Domini per vallis declivia tranſeuntis. Non capit Petrus hoc myſterium, ſuoque judicio tantum non poteſt ſuſtinere beneficium: vnde neceſſarium fuit vt Chriſtus hoc ageret quod ait Propheta: nimirum vt infunderet illi lucem, quatenus Petrus ceterique Apoſtoli non obcæcarentur: *Oculus non vidit Deus abſque te &c.* quocirca dixit illi: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea:* per illud ſcilicet hoc humilitatis exemplo: quod ita factum, nam abſoluta pedum lotione poſtquam Dominus ſua reſumpſiſſet veſtimenta, & recubuiſſet iterum, lucem illis infudit & notitiam ejus quod jam fecerat, vnde ſic illos alloquitur: *Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magiſter & Domine &c.* Si ergo ego Dominus & Magiſter veſter hoc vobis fecerim, & in tantum me vobis humiliauerim ſeruis meis diſcipulis, quantò magis conuenit vt voſipſos humilietis coram condiſcipulis veſtris: hoc etenim opus ſtatui vobis in exemplum: *Exemplum dedi vobis &c.* Quis actus

actus

ctum hunc contemplatus non ſe humiliet? Quis mens excelſus maneat & erectus? ſi Regem cœlorum te videas ſe demittentem vt aliquid de terra colligat, quàm feſtinè te proſterneres idem collaturus? Deum conſpicis humiliatum ad pedes hominum, teipſum ad illos proſterne, & coram proximis tuis te profundius humilia; quod ſi diceres, hoc fecero libentiſſimè & me ad pedes juſti bonique humiliabo, & coram eo qui mihi ſummè beneficus eſt me proſternam: intuere Chriſtum ad pedes Iudæ prouolutum, qui cum

Ioan. 6. 71.

diabolus eſſet, teſte ipſo Chriſto: *Vnus ex vobis diabolus eſt*, & jam in ſe diabolum circumferret, tamen ad pedes ejus ſe proſternit & eos lauat, quod aliud non fuiſſe mihi perſuadeo, quàm ad pedes ſe abjicere diaboli, & ejus qui tantum illum perſequebatur, mortemque ejus erat machinatus.

Altera virtus quam fundare nititur Chriſtus, charitas eſt Regina virtutum, ſine qua, teſtante & verum dicente Apoſtolo, nulla virtus, imo ne quidem omnes ſimul meritum habent coram Deo perfectum: quamuis acerbiſſimum martyrium ſubeas, facultates omnes tuas prodigus effundas in pauperes, ceteraſque virtutes diligenter exerceas. Ea intentione hac nocte aggreſſus eſt ſingulare de hoc præſcribere mandatum, quod proprium eſt noui gratiæ teſtamenti: & ideo vocatur hæc concio *Mandatum*:

III. Charitas comprehendit mandato.

quia tota comprehenditur in mandato quod dedit illis Dominus de dilectione, ſæpius hæc verba repetens: *Hoc eſt præceptum meum. Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* Quia vero poſſes objicere: Domine, quomodo nos amaſti? exemplum nobis præſtituas amoris. Placet, inquit Dominus. Ad hoc SS. inſtituit Sacramentum, quod opus fuit amoris teſſera ferventiſſimi, vt ſupra diximus. Et ſicut amore ductus Christus SS. hoc inſtituit Sacramentum, ita eodem flagrans amore Diſcipulos ſuos conſecrauit Sacerdotes ejuſdem Sacramenti miniſtros & operatores, vt autem tales eſſent, quales tantum poſtulat miniſterium primò pedes illis abluit: *Poſtquam lauit pedes Diſcipulorum.*

Exod. 29. IV.

D. Hieronym. perpendit illud quòd Deus decreuit poſtquam diſpoſuerat de Arca, candelabro, menſa, & altari, quod agat de Sacerdotum vnctione: & cum jam Moyſi præſcripſiſſet veſtes quas tolleret, modum etiam illi præſcribit, quo veſtiret illos, primò illos conſecrando. Primum quod poſt hæc illi mandat hoc eſt, vt ſummum Pontificem ac reliquos ſacerdotes aquis ablueret: *Aaron & filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonij cumque laueris Patrem cum filijs aquâ, indues Aaron veſtimentis ſuis, vt offerat.*

Exod. 28. & 29.

Sacrificia, ad quorum officium præcipit illos inungi: *Et oleum Vnctionis fundes ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur.* D. Hieronym.

D. Hie. Apud Lipom.

interpretatur hic Baptiſmum, de quo ſic ait: *Nec accipiunt veſtes, niſi loti prius ſordibus, nec ornantur ad ſacra, niſi in Chriſto noui homines renaſcantur*: Quia ſi volucres educat ex aquis quæ ſuperna petunt, jubet vt ex aquis baptiſmi prodeant homines, quaſi ex noua regeneratione, apti qui per contemplationem altiſſima petant noſtræ fidei myſteria, in quibus denuo renaſcantur: *Vinum enim nouum in nouis vtribus ponitur*: quia gratia, quæ illis in baptiſmate infunditur, neceſſariò ponenda eſt in vaſis nouis, renouatis per aquam ad nouam vitam: optima eſt hæc expoſitio: verùm facile eſt intellectu hanc diuinam diſpoſitionem typum fuiſſe ejus quod modo tractamus de SS. Sacramento. Amor erga homines Chriſtum impulit ad hujus inſtitutionem, & quatenus in ipſis vſque ad finem mundi perſeueret, diſcipulos ſuos ſacerdotes inſtituit, eorumque ſucceſſores, deinde vult, vt ad tam ſublime conſecrentur miniſterium: veruntamen, primò lauentur aquâ, & ad hujus figuræ complementum, hodie Chriſtus diſcipulis ſuis pedes lauat illos ordinaturus & conſecraturus in ſacerdotes quo per omnia ſatisfactum eſt amori, cum ille qui ipſum excitauit ad hujus SS Sacramenti inſtitutionem hominibus ad ſalutem, ipſum impulerit vt eo modo ejus inſtitutionem præſcriberet, vt bonum hoc illis foret perpetuum, quatenus omnes illo aſſatim ditarentur: etenim in ipſo quidquid habet & ſe ipſum clargitur.

Plures habuit Chriſtus rationes diuinum hoc inſtituendi Sacramentum, quarum vna ſupra modum inſignis illa eſt, vt ſatisfaceret illi quod in nobis operabatur. Perſpicuum eſt omnia viuentia requirere cibum naturæ ſuæ conuenientem. Nonnulla paſcuntur granis, alia carnibus, alia terra, alia fructibus. Creauit nos Deus, & eramus filij Adam terreni, cibum nobis conceſſit terrenum, qualem primæuo parenti noſtro tribuerat fructus terræ & terrena. Extulit nos ad dignitatem altiorem fecitque filios Dei, & ea mente deſcendit in mundum. Audi quid dicat D. Ioan. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Ratio poſtulabat vt nobis cibum largiretur digniorem cum enim nos faciat Deos, nobiſque dederit diuinæ naturæ participationem, expediebat

28

V. Ratio inſtitutionis V. Sacramenti.

1. Ioan. 3.

alimentum

alimentum dare nobilius cibumque Deo proprium. Deus ſeipſo vt proprio cibo paſcitur & ſeipſum ſeipſo nutrit : conueniens ergo erat vt eundem nobis cibum erogaret : *Accipite & comedite.*

VI. Altera ratio proponitur. *1. Cor. 11.*

Ceterum ratio propoſito noſtro conformior hujus operis inſtitutioni ea cenſetur eſſe, vt in nobis charitatem erga ſe noſtrumque proximum inflammaret. Perpende quid egerit: *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur &c.* eo tempore quo mortales atrociori eum odio perſequebantur, inſigniora præbet amoris ſui indicia : quando mortem ejus meditantur, cibum illis præparat vitæ : quando auferre illi moliuntur diſcipulos, famam, honorem, veſtimentis exuere imo & anima & vita, ipſe init conſilium ditandi hominem dando illi quidquid habet, vt nec ſibi parcat. Hæc ſunt, ita hæc talia ſunt beneficia, vt non poſſimus niſi prædicta Prophetæ verba repetere: *Cum feceris mirabilia non ſuſtinebimus.* Proh quæ beneficia! Qui fauores! Quis cibus! Quæ menſa! Perpendit illam D. Chryſ. & exclamat hortaturque nos vt ſedulò conſideremus, qualiter ad illam accedamus, & caueamus ne ſimus alii Iudæ traditores, hypocritæ ſacrilegi: *Iam ad terribilem menſam cum debita reuerentia ; cum congrua vigilantia opportunum tempus inuitat. Nullus ibi Iudas reperiatur, nullus malignus accedat, nec inſidia mente condantur. Nullus fictus accedat, nullus fucato animo. Pura igitur ſit mens, pura cogitatio, quia ſacrificium purum eſt.*

D. CHR. *Ho. de proditione Iudæ. Tom. 3*

*Ho. de diuite qua eſt 5. inter Ho. in Luc. Tom. 2.*

Condſierat S. hic Doctor quòd quamuis diues epulo plura habuerit vituperio pœnaque digna, ob quæ hic infamis ſit & omnem mereatur contemptum, & ibi ardeat ardebitque flammis illis gehennæ ſempiternis, vt nec aquæ guttam obtineat ſibi refrigerum : attamen de aliquo videtur vt prudens poſſe laudari : nempe quòd veſtiretur eo modo quo paſcebatur, veſteſque menſæ ſuæ conuenirent : ſi namque ferculis ſe nutriebat opiparis, veſtes aſſumebat pretioſas; ſic illum deſcribit Euangeliſta : *Induebatur purpura & biſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Regalis erat illi menſa ferculis inſtructa magnificis cui veſtis condigna reſpondebat, eratque Regia, purpura & biſſus. Quoſdam inuenias qui ſolis attendant menſis, & genio indulgentes ſordidis laceriſque induuntur : alios videas quorum prima & vltima cura ſit de cultu veſtium & ornatu ſupereffluenti, qui non niſi aliis & oleribus nutriuntur. Diſproportio eſt hæc vituperabilis : ſuadet enim ratio vt cibo veſtis veſtique cibus correſpondeat ; quamuis enim

VII. Sit veſtis animæ menſæ conformis. *Luc. 16. 1.*

*Matt. 22. 11.*

inclytus ille Rex, quem nobis Chriſtus in Euangelio deſcribit nuptias inſtruxiſſet per magnificas & martiales, illum tamen qui vilibus indutus eò præſumpſerat intrare, juſſit à menſa expelli, carceribus tradi tenebroſis, ligatique ei pedes & manus : non enim juſtum eſt vt locum in menſa tam feſtiua ſibi vendicet, qui in veſte ita vilis horrebat & abjectus. An hoc audiſti, quærit præfatus Doctor? Sit igitur tibi compertum, quod eo ipſo quo te Deus hoc ineffabili præuenit beneficio, vt conuiuia menſæ aſſideres adeo magnificæ & diuinæ, tibi curandum ſit vt veſtibus ornatus accedas ſplendidis ac pretioſis. *Igitur & nobis quales epulæ, talia ſint & veſtimenta.* O quis ille cibus, adeo ſanctus, mundus, purus, tantæ miſericordiæ, patientiæ, humilitatis, pietatis, & potiſſimum amoris & charitatis qua plenus ina deſcit, ſit tale tuum quoque veſtimentum. Ita monet nos Apoſtolus: *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis ita & vos.* Et ſicut epulæ ſunt charitatis & amoris, talis ſit & oportet veſtis tua principalis. *Super omnia autem hæc charitatem habete &c.* Sit cibo veſtis conformis. *Quales epulæ, talia ſint & veſtimenta.* Et mihi perſuadeo hoc ipſum intendiſſe Apoſtolum, ſic monentem : *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum* quandoquidem Chriſtum in cibum aſſumatis illoque veſcamini.

Meâ ſententiâ hiſtoriam tangit illam notiſſimam de Iacob: cùm enim Rebecca cibum præparaſſet ex Hædo craſſiori ſapidiſſimum, eidem pellem detraxit quâ manus collumque Iacob adornaret, eo modo vt illum paternæ benedictioni capiendæ dignum præpararet: itaque eodem illum hædo veſtiuit, eo quo epulas prius inſtruxerat. O quales epulas nobis prudentiſſima præparat Rebecca, diuina ſcilicet ſapientia! O quàm potentes habet manus hæc noſtra mater pia & ſollicita! O quam cæleſte nobis apparat ferculum quod eſt ipſe Chriſtus Dei filius viuus, innocens, impollutus, purus & ſuper omnia amore æterni Patris ; noſtrique feruentiſſimo humilis, obediens, patiens, & remiſſor injuriarum. Ecce quale conuiuium. Ex hoc ipſo igitur tolle veſtimentum cum enim Chriſtum manduces, Chriſtum induas. *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, & ſimile ſit menſæ veſtimentum: quandoquidem tota ſit amor, puritas & ſanctitas, ſit etiam tale veſtimentum nempe præparatum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tio charitate feruens, ſanctitate fulgens, & tionis puritate, quâ tibi ad hoc conuiuium & eſcam ſit accedendum. Perpendamus cum Ruperto, illud Exodi, quando Dominus vt populo ſatisfaceret murmuratori, promiſit illi Manna: *Ecce ego pluam vobis panes de cælo. Egrediatur populus & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies. Profectò & nobis ſpiritualiter egrediendum eſt vt colligamus. Vnde egrediendum eſt? De priſtina conuerſatione, de vetuſtate vitæ. Nondum enim depoſito vetere homine, non eſt nobis hoc Manna colligere, non eſt nobis Dominicum panem manducare. Præterea ſi digne manducare cupimus, ab omni curioſitate corporei ſenſus egrediamur, vt videlicet viſu, guſtu, odoratu, & tactu diiudicandum non eſſe arbitremur, an vere ſit corpus Chriſti, an vera ſit caro id quod ſumimus. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, verba fidei, verba veritatis ſufficit prolata eſſe ſuper ſubſtantiam panis & vini, vt inſpiretur ſpiritus, & vita æterna creaturis inanimis, quamuis ſpecies exterior non mutetur in illis.*

Difficultatem habet non leuem, qualiter Manna de cœlo deciderit. Sic enim Moyſes rem narrat. *Mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum: cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.* Notat Caietanus in Hebræo præponi aduerbium *Ecce ſuper faciem deſerti.* Apparuit manè ros ſuper terræ ſuperficiem & ſuper eam quædam grana qualia ex milio vel oriza remanſerunt, quando in mortariolo illis cortex aufertur, ſeu ſicut flos farinæ: quid hoc ſignificat? Chaldæus & Vatablus opinantur primò cecidiſſe rorem ſuper terram, & deinde Manna, ſuper quod aliud cecidit roris operimentum: ſic enim vertit Chaldæus *Operimentum roris.* Figura hic præmittitur Euchariſtiæ inter duos nitidiſſimos rores, id eſt inter duas ſpecies Sacramentales. In omnibus partibus adeſt Chriſtus. Et refert Cornelius à Lapide quòd *Iudæi adhuc hodie menſæ ſuæ quodam indicio repræſentant, ponentes panem inter duo mantilia.*

Num. 11.

Porro hoc mihi certius videtur quod Abul. colligit ex libro Numeri. *Dum deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Manna:* tum primò juxta ejus ſententiam, excitabat Deus ventum qui terram à vaporibus & immunditiis expurgabat, vt nihil ſordidum remaneret quod Manna poſſet inquinare: deinde deſcendebat ros qui coagulabatur, & ſuper eum Manna deſcendebat. Verboque *jacuit* quod eſt quaſi recumbere ſuper rorem illum, & ita vocat Caiet. *lectiſternium*: nobis exponitur diſpoſitio quam locus ille habere debebat, in quo Manna recumberet, nimirum vt eſſet purus & impollutus. Carnes decidebant inter tentoria, Manna vero: *In ſolitudine apparuit*, vt neceſſe fuerit egredi *extra caſtra* ad illud colligendum. SS. Sacramentum panis eſt de cœlo, non ſolum ſanctus, purus, & defæcatus, ſed etiam ipſa puritas, ipſa mundities, ipſaque ſanctitas: eſt amoris Dei pignus erga homines. Hoc igitur tibi conſtet, diſpoſitionem quâ tibi accedendum eſt vt illud recipias, eſſe debere puritatem, ſanctitatem, & charitatem in Deum & proximum adeo feruentem, vt veſtis huius præparationis conueniat conuiuio huius cibi diuiniſſimi: ſi namque buccellam hanc attenderis cæleſtem, inuenies electrum eſſe Ezechielis, in quo conueniebant aurum pretioſum & puriſactum argentum, ex omni parte igue circumdatum. *De medio ignis, quaſi ſpecies electri.* Ezech. 1.4.

**§. II. *Acceſſit amor ad vltimum pedes lauando Iudæ, illique SS. tribuendo Sacramentum, inſigniori miraculo, quam viſio fuerit ignis & glaciei in Ægypto.*** 29

Ho. 69. in Ioan.

1. Vtrum Chriſtus Iudæ primò lauerit pedes. Ioan. 9.7.

HOc quod ſingulariter (idem notante D. Chryſoſt.) ponderat D. Ioannes declaraturus amoris Chriſti magnitudinem eiuſque victoriam, illud eſt; quod hæc beneficia nedum D. Petro, D. Andreæ, cæteriſque Sanctis contulerit Apoſtolis ſed etiam illi proditori, quo mundus non tulit nequiorem, nempe Iudæ, quem jam ita fortiter diabolus occupauerat, vt optimè quadraret illi nomen à Chriſto datum, cum appellante diabolum: *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Huic pedes lauit: & quamuis D. Aug. *a* cui ſuffragantur Beda, *b* Rupertus, *c* D. Tho. *d* D. Berna *e* & alii, credant & ego ſimiliter credam, quòd hanc pedum lotionem à D. Petro Deus inceperit, attamen D. Chryſoſt. *f* quem ſequitur Theophilactus *g* & Euthymius, *h* & prior illis ſenſerat Origenes credit Iudam fuiſſe primum, cui Chriſtus pedes abluit: & Toletus noſtro tempore Card. Doctiſſimus hoc probare contendit ex ipſo contextu Euangelii: hanc autem producit Orig. rationem quare Chriſtus prior ad illum acceſſerit: quia grauiori laborabat neceſſitate, & is erat in quo ſe patentius amoris vis declararet.

a Tract. 56 in Ioan. b In c. 13. Ioan. c Ser. 2. in Cœna Domin. d Ho. 69. in Ioan. e In c. 13. Ioan. f Tom. 32. in Ioan. g Tolet. in c. 13. Ioan Annot. 11 h Hom. de Chriſti agon. c. 3.

D. Laurentius Iuſtinianus opinatur quòd eos etiam fuerit exoſculatus. In genua igitur procumbit, & diuinas illas manus diuinis plenas diuitiis ejus ſubſternit pedibus, quaſi eas illi offerendo, deinde pedes peruerſiſſimi illius diſcipuli ſacro ſuo Chriſtus cordi applicauit. Solet

II. Similitudo. medicus vt cordis intelligat pulſum duos aut tres digitos ſuper ponere arteriæ brachii, vbi attente pulſum attendit, & ex illo capit illius experientiam. O Iuda, attende quales ſint cordis mei pulſus, quos pedibus poſſis percipere, & calorem agnoſcere quo amore tui flagrat ardentiori. O Beatiſſime Ioannes quam beata fuit illa ſors tua, quando caput tuum ad pectus ejus dulciter inclinaſti! Verum attende quod in hoc te Iudas videatur præcurrere, quandoquidem ejus ibi pedes Saluator applicet, intuere quid cum illo agat: etenim ibi pedes applicat, vbi tu magno tuo emolumento caput appoſuiſti. An quid facere poteſt amplius?

III. A quis vult Chriſtus Iudæ mergere malitiam. Quid Domine mi, prætendis quando pedibus perfidi hujus Apoſtoli propriis ipſe manibus aquam ſuperinfundis; ſolent illæ, Domine, inſtrumentum eſſe tuæ juſtitiæ, & tuarum vindices injuriarum in eos qui temporibus Noe excuſſis habenis te grauiter offendebant. Illis peruicaciam puniuiſti Pharaonis: *Contribulaſti ca-*

Pſ. 73. 1. *pita draconum in aquis.* An fortaſſis hunc mergere proponis ipſo Pharaone duriorem? Quid agis Domine mi dextram tuam ad ejus extendens pedes? An hoc præ manibus habes quod Iob ait:

Iob. 28. 8. *Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes?* Numquid ſilicem hunc vis ſub-

IV. Quomodo corda ſuperentur hominum. uertere contumacem? O amor! Impugnare cor ejus conabatur. Duo ſunt quibus corda vincuntur & emolliuntur: corda generoſa humilitate ſuperantur, & prona ſui dejectione; quamuis leo ſit *fortiſſimus beſtiarum*, ſui coram eo ſubmiſſione, ſuam perdit animi ferocitatem. Corda vilia & ſeruilia muneribus acquiruntur: eo

Prou. 30. 30. namque modo Iacob fratris ſui Eſau ſtudebat cor emollire: dicebat enim: *Placabo eum mu-*

Gen. 32. 20. *neribus.* Chriſtus cor illud adamantinum ſubjicere ſibi laborabat. Eia Iuda, mi diſcipule, ſi

Matt. 5. 23. cor tibi ſit nobile, tuis ecce me pedibus aduolutum. Opere perficio quod tibi cunctiſque man-

V. Expenditur lotio pedum Iudæ à Chriſto. daui; quod ſi tempore ſacrificii offerendi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Paratus ad ſum Sacrificium mei ipſius in ara crucis oblaturus: perſpicuum mihi eſt, te non leuiter aduerſum me animo vlceratum; feſtiuo me tibi reconciliare, vel te mihi, & hoc tuis proſtratus pedibus ſupplex expoſtulo. Si bene male habes, quia Magdalenæ permiſi vnguenti pretioſi effuſionem, pedibus meis adjacentem: ecce me tuis habes pedibus adjacentem, & rogantem vt in tuam me recipias amicitiam.

Multi Sancti perpendunt quâ tot oſculis illos amplexus ſit infernales, quâ teneritudine illos lauerit, qualiter lacrimis ſuis aquas poſt auxerit, qua ratione ſuos interdum oculos ſubleuauerit, eum quàm potuit amiciſſimè aſpiciens, quaſi diceret: Amice, pedes hos contine, jam enim ad tui currunt perditionem: *Hoc officio* (ſic D. Chryſoſt.) *cohibere illum à ſcelere volunt, & à perditione abducere.* Notandum cum D. Hieron. quod Dominus dixit ad Cain, ſecundum lectionem Septuaginta: *Peccaſti?* *Quieſce:* Primus ille diaboli diſcipulus (hoc eum nomine ſugillat D. Baſilius) mortali ægrabat inuidia contra fratrem ſuum, jamque proditoriam illi necem machinabatur: apparuit illi Deus vultuque mouet benigno, & ait: Cain fili mi quid agis, eſto tibi præſens, attende ne tibi majus quam fratri inferre detrimentum. Vt quid necem ejus meditaris? In quo te mihi offendit? *Peccaſti?* An malam concepiſti intentionem? *Quieſce:* jam illam remitte, & gaudio pacis perfruere. Hoc multò conuenientius poterat Dominus Iudæ dicere proditori. O diſcipule mi, in quo tibi moleſtus fui, vt me tradas inimicis meis traditurus occidendum? Te in quid offendi? Tibi numquid in aliquo defui? Te meum creaui Apoſtolum, poteſtatem tibi conceſſi curandi languores, ejiciendi Dæmones, menſæ meæ te ſumpſi conuiuam, ſemperque tibi beneficus: quâ igitur de cauſa mortem mihi machinaris? *Peccaſti:* Mentem tuam peruerſum inuaſit propoſitum? Me vendere quid decreuiſti? *Quieſce:* ceſſent hi pedes, quieſcant, jam illis aduoluor humillimus. Si tibi ſit ſeruile & ſordidum muneribus cor que emolliendum, ecce pedibus tuis cuncta quæ Deus dare poteſt munera donaque ſubjicio.

O Domine quàm veraciter dixiſti implendum illud Dauidis oraculum: *Homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Proditionis ſcelus contra me perfidus aggreſſus eſt adeo inſigne & magnificum, vt tale quid ſimile non poſſit inueniri, neque eſſe ſceleſtius. D. Amb. hæc verba Pſalmiſtæ declarans, quæ Chriſtus referens ajebat: *Qui edebat panes meos, leuauit contra me calcaneum.* quid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quaſi diceat calcem mihi impegit duriorem: exponit quod alludere voluerit illi quod pro more habent pueri quando luctantur: nam poſtquam alter alterum ſuperauit & in terram proſtrauit, qui victus erat ad pedes ſe victoris deiiciebat, cujus victor calcem ori impingebat in ſignum victoriæ: dicitque ſe hoc Romæ viſſe à nonnullis juvenibus practicatum, quos ipſe luctantes conſpexit: nam cum inter ſe diu multumque luctati fuiſſent, vno ex illis proſtrato, ſtatim qui ſuperatus erat ad pedes ſe demittebat victoris cui victor calcaneum ori infringebat. Quale fuit inter Iudam Chriſtumque prælium, dum ille traditiones molitur, & Chriſtus illi confert beneficia: nunc autem videtur ſe Chriſtus victum fateri, quandoquidem jam diabolus Iudam pleno poſſideat dominio, qui jam animo concepit ſcelus exequi ſacrilegæ venditionis: Chriſtus ad pedes ejus ſe proſternit; illoſque ori ſuo applicat, in ſignum nullum ſupereſſe remedium lapideo illi cordi ſuperando. Quid hoc, Domine, an ergo plus poterit in corde Iudæ diaboli malitia quàm amoris tui efficacia potentiſſimi? Vt ſolidum principium ſtatuit Spiritus S. quod *Sapientiam, non vincit malitia.* Sic eſt, nec Iudas nec ejus malitia Chriſtum deuincit, nec ipſe illum pedibus ſuis proſternit ſuperatum, ſed amor, amor qui acceſſit *in finem*, eouſque vt ſe ad pedes tam horrendi demittat proditoris. Hæc eſt amoris Chriſti victoria ejuſque triumphus, qui tantâ non ſe patitur malitia vinci & ingratitudine, quinimo ex illa ſumit augmentum & ardentiùs inflammeſcit: ita vt hic non ſiſtat, ſed vlteriùs progrediatur in conferendo illi beneficia: ſuper hæc carnem ſuam illi in cibum & ſanguinem ſuum adminiſtrans in potum, nec non eſcam illi largitur eam, in quam omnes cæli diuitias effuderat.

VI.

VII.

VIII.

Aliquorum fuit opinio quòd Chriſtus Iudæ SS. corporis ſui & ſanguinis non porrexerit Sacramentum ſed communi refragatur hoc opinioni Sanctorum contrarium aſſerentium. D. Dion. *a* Diſcipulus Apoſt. Pauli. D. Cypria *b* D. Hiero. *c* D. Cyrill. *d* D. Chryſoſt. *e* D. Leo *f* Papa & nominatim D. Aug. *g* qui cenſet euidenter hoc exprimere D. Lucam. *S. Lucas euidentiſſimè narrat:* aduertens quod poſtquam Dominus Apoſtolis S. Synaxim didiſſet, hæc dixerit: *Et ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Et apertè dixerunt hoc Euangeliſtæ loquentes de calice: *Biberunt ex eo omnes.* Itaque indubitatum eſt Iudam interfuiſſe communioni.

Modo videamus O Domine, quem ignis hic ſit operatus effectum in corde illo congelato ex flatu venti Boreæ Aquilonaris, Duo hic notat Spiritus S. inſignis efficaciæ, ſolem in calefaciendo & ventum Aquilonarem in conſtringendo. Quanta vis illa ſolis quæ omnia incendit & calefacit, & ad intimas vſque terræ cauernas peruadit: *Sol vas admirabile, tripliciter exurens montes, radios igneus exſufflans &c.* quanta Boreæ frigidi potentia, vt aquam in glaciem obduret fortiſſimam: *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua &c.* illos hic intuere ſibi oppoſitos. Sol Chriſtus eſt ſummo flagrans amoris igne, & diabolus qui ſufflat & cor Iudæ in glaciem commutat petræ ſimillimam. Sibi mutuo occurrunt, vt videamus vter palmam auferat victoriæ. O cor diabolicum, Iudam intelligo & execror! o diabolum humanatum vel incarnatum! o hominem in diabolum transformatum! — *Eccle. 43. 3.*

Inter præclara miracula quæ mundus obſtupuit à ſui per Deum creatione, hoc non paruum admiratus eſt quod Spiritus S. in L. Sapentiæ perpendit, à Deo factum, dum populum ſuum de ſeruitute liberaret Ægyptiaca. Nam pluit ſuper Ægyptios aquam congelatam vel lapides grandinis, pariter cum igne, ita vt glacies non ſolum ex ignis calore non liqueſceret, ſed potius congelaretur magiſque obduraretur: ignis ſimiliter nedum glaciei frigore non extingueretur, quinimo feruentiùs inardeſceret. O cæleſte myſterium, hodierno noſtro apprimè conueniens. Chriſtum conſidera ignem conſumentem, amore quo feruet incaleſcentem. Iudam intuere gelu duriſſimum: nam cor eius inſtar ſilicis obduruerat vt ſtillicidium congelatum, quod auaritia & malitia diaboli tenebat obfirmatum; Stupendum prodigium, vt nec tali igne gelu diſſoluatur; nec tanta glacie ignis extinguatur: non enim amor Chriſti tali proditionis ſcelere victus elangueſcit: quamuis hoc in cogitatione Iudæ legeret, intentionem eius perſpectam haberet, noſſetque perfidiam, non tamen à præſtando illi beneficia donaque deferueſcit: lauat illi pedes, ſibi ſuiſque manibus illos applicat, ſeipſum apponit illi in cibum, ſanguinem ſuum, carnem & diuinitatem erogat, quaſi qui cor eius intrare deſideret, ſeque vnum cum ipſo efficere: Sacerdotem ordinat, Epiſcopum conſecrat Reuerendiſſimum. O quantus hic ignis, quam efficax qui eam non infrigidat vel modicum glacies Iudæ frigidiſſima. Porro quantum gelu, quam obdurata

IX. Allegoria de igne & glacie Ægypti. *Sap. 16. 19.*

glacies, quæ nec hoc igne diſſoluitur, nec amore emollitur, imo tantò durius cor eius obfirmatur, vt recepto beneficio hoc cæleſti, in illum diabolus pleniori ingreſſus ſit poteſtate: *Et poſt buccellam introiuit in eum Satanas*: & quando beneficia ad ſummum peruenere faſtigium, vt plura quæ darentur non ſupereſſent, cordis eius glacies ſupremum aſcendit malitiæ verticem: etenim *Cum accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò*. Non ſatis fuit Chriſto illi dare quod omnibus dedit per lotionem pedum, & SS. Sacramentum, ſed inſuper ipſi in particulari & ſoli & diuina manu ſua buccellam porrexit in amoris ſingularis pignus infallibile, & quam primum illam accepit à menſa ſurrexit traditionis crimen executioni mandaturus: itaque tanto ardore igneque tanto in ſupremam & diabolicam lapſus eſt obſtinationem.

*Ioan. 13. 27.*

32 Apte proferimus hic quod D. Chryſoſt. notauit circa verba D. Ioannis. Narrat Euangeliſta quod Dominus in menſa recumbens (credit D. Aug. hoc accidiſſe poſt Apoſtolorum communionem) motum quendam ediderit ſingularem quaſi turbationis & commotionis, emiſſo vivo de corde ſuſpirio, & nimis contriſtatus dolenſque Iudæ perditionem (ex mente D. Aug.) in hæc verba proruperit: *Turbatus eſt ſpiritu & proteſtatus, eſt, & dixit: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Non leuiter turbantur Apoſtoli, ſe mutuo triſtes aſpiciunt, & D. Petrus vtpote zelo feruentior D. Ioannem rogat, vt à Domino requireret, quatenus, ipſe declararet quiſnam hoc facturus eſſet, foretque proditor. Fecit hoc D. Ioannes, dixitque illi Deus: ille eſt, quem ego ſingulari præueniam favore, & debitis ſuper ceteros mulcebo teneritudinibus, ipſi manu mea buccellam panis porrigens intinctam in catini condimento, ex quo comedimus: *Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero*. Quale fuerit hoc condimentum diſputat Card. Baronius, Rituale proferens Hebræorum, quod ſcilicet compoſitum fuerit ex ſucco lactucæ ſylveſtris & cicoreæ, ſapidis gratiſque mixtum confectionibus; nam condimentum hoc in menſa erat non ſolum eo tempore quo Paſchalis Agnus edebatur, ſed etiam dum cœna durabat, quæ poſt eſum Agni celebrabatur. Hæc dicens Dominus buccellam accepit panis, & conditura immergens quaſi ſibi eam præparans, extendit manum ſuam, & vultu benigniori, oculiſque arridentibus illam Iudæ tradidit, dicens: amice hanc ſumito buccellam: accepit illam Iudas & comedit: *Cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ & poſt buccellam introiuit in eum Satanas.*

*Ho. 71. in Ioan.*
*Tract. 62. in Ioan.*
*Tract. 62. in Ioan.*
*Ioan. 13. 21.*

X. Qualis fuerit illa buccella.

*Tom. 1. Annal. an. 33. c. 39. & 38.*

Quid hoc ſignificat: *Introiuit in eum Satanas*? Numquid iam non intrauit illum ad proditionis crimen excitans, quod iam animo conceperat exequendum? Intrauerat (ita D. Aug.) iam ſiquidem, ſed non perfectè, nec omnino animam eius occupauerat, ſed tantum illam excitans & ſacrilegam illam cordi eius ingerens Dominum ſuum vendendi cogitationem, de qua ſic loquitur Euangeliſta: *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas &c.* Vt autem ab hoc nefario retraheret eum propoſito, Dominus illum operibus præuenit adeo ſingularibus, vt pedes illi lauaret, carnem & ſanguinem ſuum illi propinaret; & tandem his addens ſcrupulas ſingulares, vt illi propria manu buccellam offerret intinctam. Quis hinc ſecutus effectus? *Poſt buccellam introiuit in eum Satanas*: qui hoc accepto dono quo à præconcepto debebat reſilire propoſito, non ſolum ſe non ab eo ſubtraxit melior, imo verò perfectè peior euaſit, & omnino reſoluit ſacrilegam hanc opere complere traditionem: vnde tunc illum Satanas plenè poſſedit, & ita in animam eius, vt perfectus eius Dominus, introiuit: *Intrauit Satanas poſt buccellam in traditorem, vt ſibi iam traditum plenius poſſideret, in quem prius ingreſſus erat, vt deciperet.*

Rationem hic cum D. Cyrill. & notandum cum D. Chryſoſt. diſſertiamus: quare porrexit illi Dominus in ſingulari hanc panis buccellam? Rupertus reſpondit: vt Spiritus S. conſilio acquieſceret: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum &c. carbones enim ignis congeres ſuper caput eius.* D. Cyrillus reſpondet: vt oraculum impleret quod ipſe ex Dauide hac occaſione protulit: *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Porro ſingulariter extremum D. Chryſoſt. actum exercere voluit amoris feruentiſſimi, contrarium odio Iudæ: quia quem tantum non moueret beneficium? poſtquam enim lauit illi Dominus pedes, carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum obtulit in potum ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ordinauit Sacerdotem & Epiſcopū, ſicut ceteros: vt vltra hæc ipſe cumulatum cerneret, dono adeo ſingulari, vt videatur hanc Dominus buccellam ori ſuo ſubtraxiſſe eam illi traditurus: *Si menſæ communicatio cum rubore non ſuffundis, hæc panis porrectio quem non moviſſet?* Conſidera quantus in Chriſto feruebat amoris ignis, & nihilominus non diſſoluitur gelu pectoris Iudæ, ſed firmius obdurauit

datur: quia ex eo ipſo beneficio in tantam obdurauit glaciē, vt iam totus fieret Satanæ poſſeſſio. Vt autem vidit illum Dominus quaſi omnino perditum, in tantum vt flammis ignis ardentioribus, ſummam contraxiſſet glaciei duritiem, quaſi de correctione eius animo odij deſpondens, deſiderans negotio noſtræ redemptionis (ita D. Auguſtinus) finem imponere, ait illi: *Quod facis, fac citius*, & continuo digreſſus conceptam perfecit iniquitatem.

Tract. 62.

O gelu Satanicum? Quod ad ignem maximè feruentem magis obduratur & congelatur. An gelu huic æquiparandum? An tale bellum quis audiuit, vt frigoris gelu ignis ardentibus accendatur, & ignis calore gelu frigoris capiat incrementum? O Myſterium! Faxit Deus, fratres mei, ne plures inter nos Iudæ reuiuiſcant: *Nullus Iudas reperiatur*, ſic optat D. Chryſoſt. quem licet ſolum diabolus ſibi prædam abſtulerit, plures tamen reliquit aſſeclas, qui minori pretio quàm triginta denariis Chriſtum vendunt, & quantum in ſe eſt, interficiunt. Iudas, chariſſimi, ſemel communicauit, ſemel illi Chriſtum pedes abluit: tibi vero quoties corporis ſui buccellam porrigit, quoties ſuo te Sanguine purificat? eundem quoties tibi potum propinat? Toties quoties peccata tua confiteris. Quoties heu quoties de menſa ſurgis Altaris ad peccata feſtinans, vt quantum in te eſt illum denuo crucifigas? Quoties eo ipſo die quo communicaſti, illum quatuor aſſium pretio vendis mille mendax periuriis? Quoties (ne vera dixerim) integris adhuc in corde ſpeciebus Sacramentalibus inhoneſtas tuas meditaris delitias, & Sataníćos ſectaris impulſus? O beniġniſſime Deus, quam appoſitè dicere nobis & interrogare poſſes: *Scitis quid fecerim vobis*? Chriſtiani, ſcitis quid veſtri gratia fecerim, quid veſtræ ſalutis ergo pertulerim? An mente reuoluiſtis in quem vſque finem amor meus feruentiſſimus aſcenderit? An unquam beneficia tibi à me præſtita perpendiſti? Nobis tu Domine, præbe intellectum, vt amori tuo & quidem tanto noſter amor correſpondeat, tantaque beneficia piis rependamus operibus, ſi non æqualibus, etenim hoc eſt impoſſibile, diuinis ſaltem oculis tuis ſint grata quatenus illis gaudentes bonis omnibus ditemur cœleſtibus in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam. Amen.

Hom. de proditione Iudæ Tom. 3.

# SVMMARIVM
## HOMILIÆ QVADRAG. SEXTÆ
## SEQVENTIS.

In generali Paſſionis Dominicæ myſterio, nobis myſteriorum illius profunditas repræſentatur. *a.* & magnitudo beneficiorum, quæ nobis in illa diuinos præparauit amor qui cum ſit infinitus *b.* quantumuis cunctis communicetur hominibus, ita tamen ſingulis fit proprius, ac ſi propter ipſos ſolos amor illum ad illam ſuſtinendam obligaſſet. Opus eſt hoc. *c.* quod vnicuique ſuam aperit obligationem qua ſentire tenetur Chriſti dolores ut proprios. *d.* Quamuis enim in eo quod ex eis ſentitur, amaritudo quædam percipiatur: in fructu tamen qui ex illis colligitur, magna percipitur



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN